



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniae, 1658

Cap. XXVIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45556



AVLA IV.

MEDITATIONVM AD SPIRA-
TIONVM ET EXHORTATIONVM

IN SINGULAS SENTENTIAS

PASSIONIS D. N. IESU CHRISTI

SECUNDVM IOANNEM.

CAP. XVIII.

§. 1. Egressus est Iesus cum Discipulis suis. v. 1.



Iesus, quem misit Deus in mun-
dum, ut salvetur mundus per ipsum, è cælo quodam-
modo egressus ante triginta tres annos perditas oves
domus Israel quæ sivit, & congregavit, plantavitque vi-
neam Parrisui, in æstu, in frigore, in siti & fame, in vigi-
lijs & laboribus multis. Idem nunc appropinquante
tempore gratiæ & misericordiæ, quo constituerat perficere salutem no-
stram, nosque redimere, non corruptibilibus auro vel argento, sed pretioso
sanguine suo, post plurimas egressiones iterum egreditur ex cœnaculo, in
quo celebrem cum Discipulis suis cœnam perfecerat, & testamentum
suum condiderat, hora vespertina infra octavam circiter.

ECce anima mea; Iesus egreditur à mensa, in qua post legem Iudaicam
Agnam figurantem converterat in veritatem; Panem in Corpus tran-
substantiando, vinum in sanguinem: Sacerdotes, etiam novos instituerat,
tradens eis potestatem consecrandi, & iuxta formam datam conficiendi
pro se suum corpus & sanguinem, ex pane & vino per verbum. Noli igitur
etiam timere vel reculare egredi, non solum à commodis & utilitatibus
tuis: sed etiam ab uno bono ad aliud bonum melius, maximè ad id quod

A

magis

magis sensualitati repugnat. Ita enim Christus ante oculos suos fecit. Cenaculam sanctum deseruit, horum faciatorem adiit.

§. 2. *Trans torrentem Cedron. v. 1.*

Torrentis, cuius mentio hic fit, in valle Iosaphat inter Hierusalem & montem Oliveti decurrebat, & illi propinqua erat villa Gecsemani ad radicem montis Olivarum. Quid autem est torrentis, aquarum abundantia maximo impetu currentium. Quid autem aqua in sacris literis? dum agitur de tristi materia, solent indicare dolores animi & corporis angustias. Testis est Psalmus Davidis: *salvum me fecit Deus, quoniam intraverunt aquae, scilicet tribulationes, usque ad animam meam.* Cum autem dolor Passionis quem Christus pro nobis passus est, fuerit omnium vehementissimus, aptissime est per torrentem adumbratus, & adhuc magis per nomen ipsius torrentis, Cedron quippe nigredinem & melancholiam & tristitiam significat. Quem sane D. N. dum pariebatur non solum adiit sed & pertransiit. Neque verò Sacramento caret, quod Christus ad montem Oliveti pergens torrentem pertransiit: subindicabat enim, quod priusquam caelos ascenderet, erat amarum mortem subiurus, & quemadmodum a monte Oliveti dulcis Olivæ liquor effluit curandis vulneribus maxime opportunus: similiter à Passione Christi in monte Oliveti inchoata emanaret dulcor divinæ commiserationis medendis peccatorum morbis necessarius & apprimè opportunus. Nam vallis illa Cedron quæ etiam vallis Iosaphat & *vallis montium* vocatur, inter ipsam montem Oliveti ac Hierusalem, in montibus sanctis collocata, ob arborum frequentia, ac situs profunditate umbrosa erat ac velut obscura: distabat autem ab urbe stadiis sex ut videre est apud Ioseph. 6. belli Iud. c. 3. & eam secabat fluviolus, fere semper arens, qui pluvialibus aquis auctus, undique de montibus, fontibus, piscinisque affluentibus, dulci quodam murmure per mediam vallem Iosaphat, atque gehennon & per plana deserti in mare mortuum defluens absorbebatur. Passionis Christi mysterijs convenientissimum sane adjunctum.

Domine Deus video quod non solum tribulationes ingentes suscipias in te sed etiam imagines ipsas miseriarum adhibeas super cruces tuas, & nomina horrorem habentia, ideo dico te iustissime à Deo Parte exaltatum ut & multos salvos faceres & in omnibus clarificeris, qui temere ipsum humiliando adeo humilitate summa denigrasti. Dignus es accipere divinitatem & gloriam & honorem & amorem omnem in caelo & in terra.

§. 3. *Vbi erat hortus. v. 1.*

Aliquid singulare debuit hic hortus habuisse, vt tot hortis circum urbem regalem positus praeferretur. an forte communis? vt quisquis vellet eo uteretur, quomodo etiam putei & campi quidam communes sunt. An forte prae aliis hortis amoenus & gratior? sed non solebat Dominus sectari sensualia & carni placita, & quid in nocte poterat prodesse amoenitas horti? alia itaque causa fuerit nempe situs illius opportunus, erat enim hortus ille ad viam qua ibatur ex Bethphage in Ierusalem per portam vallis quae dicitur Gregis, quoniam in ea valle erant ovilia servandis gregibus pecorum, quae festis diebus & aliis à sacerdotibus debebant immolari in templo super montem Moria sito super crepidine efficiente ex parte urbis vallem torrentis Cedron, & sic verus ille agnus paschalis eo loco inventi voluit & capi ad immolationem sui à sacerdotibus sibi imminentem, quo loco & alij agni paschales & oves sacrificata servabantur. videri potest descriptio Ierusalem, maxime illa quae theatro urbium inserta est. vel Calcariae Clivorum Anno 1570. edita est.

Domine Iesu video te revera legem valde exacte implere, quia non solum substantiam eius servas, sed & caeremonias eo tempore usitatas, non erat scriptum in lege ibi deberent sacrifici agni custodiri quia tamen sacerdotes eum locum deputaverant, tu etiam te ei mori accommodasti, & nobis exemplum dedisti, vt morem non damnatum teneamus.

§. 4. *In quem introivis ipse & discipuli eius. v. 2.*

Quia hortus ille erat Paradisi locum designabat, ad pristinum omnia recurrere oportebat & cum in paradiso malorum initium factum esset, ita etiam initium omnis boni, passio scilicet Christi in horto incepit, per quam à malis liberati in pristinum habitum restituti sumus. In hortum ergo Olivarum fertur illustris illa oliva, ubi incidi & ligari inciperet, nos vero inseri illi, fierique membra unius corporis optare oportet, ut inseri unum cum eo simus, & ab eo eiusque humore, id est meritis ac influxu fecundi facti fructum vitae aeternae proferamus.

Dilectus meus olea est, perpetuum pacis symbolum, pace enim natus, paci natus, pacis nuntius, pacis magister, pacis author, qui fecit utraque unum: quidni ergo nunciat in montem Olivarum ostensurus non se arma, aut bellum sed pacem orbi allaturum? passione sua se homines Deo reconciliaturum. Sed veniant etiam eo discipuli eius, omnes Christiani.

ut veniens Dominus, dilectus meus, in hortum suum inveniat & comedat fructum pomorū pacis Sit pax Hispanos inter & Gallos, Lusitanos & Castellanos, tollatur discrimen nationum non sit in Ecclesia ego Cepha, ego Apollo, ego Pauli &c. comportent se omnes ordines religiosi, clerus sæcularis regularem, & regularis sæcularem ne spernat, fiat pax in virtute tua Iesu.

§. 5. Sciebat autem & Iudas, qui tradebat eum, locum, v. 2.

Ne Christi Domini egressus ab urbe videretur esse species occultantis se & subducentis contra prodicionem diserte addit per egressionem illam non fuisse impeditam prodicione quoniam proditori illud diversorium Domini erat notissimum ex consuetudine crebra Domini.

O Sancte Dei historice Luca, tu certè insignis es medicus non tam corporum quam animorum; nam prævidens periculum discipulandi de quaestione, quomodo Christum nocte ex urbe digressum potuerit audax Dux sceleratorum reperire, causam das & imponis emplastrum vulneri nostro, nempe locum illum probe notum fuisse Iudæ. Gratias ago tibi prævide scriptor.

§. 6. Quia Iesus frequenter convenerat illuc cum discipulis suis, v. 2.

Etiam causam ex qua proditor locum illum Dominicæ mansionis novisset, indicat, dicens quod intrare solebat hunc hortum cum discipulis ad orandum, post labores, post conciones, post diem Hierosolymæ exactum. Unde bene intelligo Christum Dominum revera magnas sæpe adversitates & inopiam acerbam tolerasse. an non enim magna molestia est fatigatum diurnis actibus noctem in aliquo horto suburbano, qui omni re culinaria destitutus erat, diversari sub Iove frigido? si itaque magister ita panperrimè vixit quomodo non & discipulos pauperem vitam duxisse est putandum? Verè Dominus noster Iesus Christus Apostolicæ paupertatis fundator nuncupatur, quam ita ipso exemplo stabilivit & suos discipulos adeo exercendo assuefecit, & tamen illi ipsi in cœna interrogati apud S. Lucam, an aliquid eis aliquando defuisset, dicebant candidè: *nihil* possumus etiam considerare in eo quod Dominus cum discipulis frequenter eo convenerat Dominum in suburbano loco scholam quandam vel academiam ad modum Philosophorum Athenis constituisse, ubi libera & strepitu civitatis philosophari possent cum ijs qui ad audiendos eos venirent.

Quis

Quis ergo erit, qui minus necessarium sibi existimet certa habere & orandi & agendi & loca & tempora? cum id ne Dominus quidem neglexerit; cui tamen nihil horum necessarium erat. Loca enim eligimus ne rerum variarum imaginibus occurrentibus, aut hominum interventione turberemur. Tempora designamus, tum ut apertiora hæc quoque nanciscamur, tum ne nobis inter varias occupationes dies effugiat, priusquam orationi vacemus, nam & in mediis turbis, imo & in summis cruciatibus Deo conjunctissimum animum habebat & non egebat monitore, quo commonefieret, ne dies prius elaberetur quam patrem orasset, cum ipse & pater unum essent, non modo vna divinitatis essentia, sed etiam mentis ac voluntatis humanæ cum eo conjunctione perpetua: quod igitur certū habuit orandi tempus ac locum id procul dubio nostra causa factum est. Nihil enim ita necessarium vitæ bene instituendæ est, atque oratio. Nihil orationi magis quam loci, ac temporis constitutio. David septies in die laudem dicere consueverat, Petrus & Ioannes. ascendebant ad templum ad horam orationis nonam, Christus monet: Cum oraveris intra in cubiculum tuum & clauso ostio ora patrem tuum. Vagæ illius & erraticæ orationis vix ulla utilitas & profectus est, quemadmodum sæpe valetudini ac vitæ malè conluleret, qui incertis temporibus ac fortuito cibum caperet: ita multo magis qui eadem negligentia hunc animæ cibum sumit. Fatebatur David percussus sum ut fœnum & aruit cor meum quia oblitus sum comedere panem meum: panis procul dubio quotidianus supersubstantialis, oratio est, eo pane cor hominis confirmatur, eum certo loco ac tempore quotidie sumat, qui Deo vivere curat, quotidie dicimus. *Et ne nos inducas in tentationem.* Christus autem nobis respondet; *Orate ne intretis in tentationem.* Si negligis orare, quid mirum si tentaris & vinceris? Quid mirum autem si negligis orare, cum nullum ad id certum habeas tempus ac locum? quod loco aut tempore caret, id nusquam vel nunquam esse affirmare solemus. Affiduum igitur oportet esse te, semperque certo loco ac tempore precibus vacare, ut ea re, quantum potes, te confirmes.

Benignissime Deus, tu me rege semper ac posside, ut preces & actiones ordinem bene, atque debite ac devote persolvam, ad nominis tui gloriam & ad meam totiusque populi Christiani salutem. Amen.

§. 7. *Iudas ergo cum accepisset cohortem. v. 3.*

Cum congregatis Principibus Sacerdotum, & Senioribus populis, precedenti die, feria scilicet quarta, in concilio suo de Iesu per dolum tenendo

A 3

nendo

nendo & occidendo, apparuisset Iudas Ischariotes se offerens, ad delum contra Christum Dominum suum, eumque in finem consensisset sibi dati triginta argenteos in pretium & cohortem militum in defensionem, in casu quo se vellet Christus defendere: & ipsi spondissent omnia que petierat. Sequenti die cæna facta cum intrasset diabolus in cor Iudæ proditoris, surrexit & abiit ad summos sacerdotes & petijt sibi dati promissam cohortem, sciens quia Iesus iturus esset in hortum Gethsemani iuxta moerem ad preces ibidem fundendas. Principes audito lato nuncio continuo miserunt ad Pilatum vt cohortem aliquam eis commodare ad tempus non dedignaretur ad capiendum seditiosum & malignum hominem, hanc cohortem habebat Pilatus in Ierusalem pro sui capitis & principatus tutela & securitate & ad compescendos seditiosos & populares motus, ut constat ex Iosepho Iudæo historico. quam cohortem cum accepissent Principes ipsi statim tradiderunt ducendam Iudæ ad locum insidiarum & Iudas factus est ex Apostolo Christi, legatus Antichristorum, ex Salvatoris discipulo magister perditionis. ô miram sed infelicem conversionem aut potius perversionem! verè iste Apostolus est reformatus Apostolus, vti hodie sunt reformati Christiani & reformati Catholici, qui ex Catholicis facti sunt hæretici & ex Christianis infideles Christo & Ecclesiæ eius persecutores.

Domine Iesu Iudas proditor petit à Principibus sacerdotum cohortem militum ad te captandum, ligandum, crucifigendum, morti tradendum. Ego invoco & supplico Deo Patri ut concedat mihi ad te laudandum, benedicendum, exaltandum nunc & semper & per infinita sæcula, novem choros angelorum imo aliquam hominum congregationem, qua mecum dum vivo & post mortem meam te laudet & honoret. Ecce Domine bona mea impendo in fundationes factorum & monasteria & collegia clericorum vt in eis pia cohors hominum collecta semper te laudet & glorificet, pro contumelia, quam tibi irrogavit Iudas cum sua mala cohorte.

§. 8. *Et à Pontificibus & Pharisæis ministros.*

Quia non audebant per semetipsos soli subire periculum Iudas & milites, timentes turbam, quæ Christum sicut Prophetam habebant, ne forte tumultus fieret ab amicis Christi Domini, aut discipulorum eius factoribus, statim adiunguntur civili potestati & brachio sæculari virgiferi & similes ministri Ecclesiastici, ut captivas Christi omni authoritate manica ac rata haberetur, in quam & civilis potestas & Ecclesiastica authoritas

conspiraret. Vnde intelligo quod Romani, licet Gentiles essent tamen Iudæorum auctoritatem Ecclesiasticam non diruerunt, sed salvam reliquerunt, probiores in hac parte nostri temporis hæreticis, qui si aliquem locum civilibus armis occupaverint statim sunt omnia, & Imperatores & Pontifices & populus & Sacerdotes, melius in hac re Catholici, qui discrimen faciunt inter sæcularem potestatem & Ecclesiasticam, ita ut singula intra suos terminos operentur. apud Catholicos viget mos, ut, quando aliqua Ecclesiastici fori res est tractanda, per civilem potestatem tunc hæc ab Ecclesiastico magistratu invocetur, & quando aliquam rem Ecclesiastici fori habet agendam sæcularis magistratus ipse invocet Ecclesiasticum magistratum sic iurisdictiones salvæ manent singulis suæ & Deus colitur ritè.

Domine letu da obsecro hanc mentem omnibus magistratibus ut nolint dilatare phylacteria sua vel fimbrias suæ potestatis, sed intra suos limites se contineant ne percutiantur cum Ozia, qui voluit, cum esset Rex, etiam esse Pontifex, conspirent magistratus Ecclesiasticus & civilis in bonum & non in malum; sed quisque intra suas metas manens, non confundat rempublicam.

§. 9. Venit illuc cum laternis, facibus & armis. v. 3.

Satis astute & caute secundum sæculi prudentiam instituit suam rem Iudas, nam quia tenebræ erant, faces & laternas assumpsit, & quia vis timeri potest, assumpsit arma. etsi enim eo tempore paschale foret plenilunium & ideo nox esset illustris, tamen decorum erat faces adhibere ne nocturni grassatores esse crederentur & quia faces potuissent valido vento extinguï, ideo his etiam laternæ sunt adhibita, quæ sunt secretiora & munita luminarium conditoria, imo talia in quibus lux servari potest & tamen foris à nemine videri, nisi is, qui fert laternam, velit, verè filij huius sæculi, imo tenebrarum in suis rebus & foro sunt prudentiores filijs lucis in suo foro aliquid tractantibus, Quoties enim in rebus spiritualibus impingitur quam turpes et ores committuntur & sæculi huius filij, quam providi sunt in rebus suis. Ipsi Dominus hoc testimonium præbuit.

Deus qui unigenitum tuum laternis & facibus & gladiis ac fustibus impiorum caute in horro quæri & circumcingi permisisti: da nobis ita caute tractare cœlestia, uti filij isti tenebrarum tractantur terrena sua negotia.

§. 10.

§. 10. Iesus itaque sciens omnia quæ ventura erant super eum. v. 4.

Iesus sapientia Patris, cui omnia parent ab æterno, cui omnia nuda, nil absconditum, nihil tam altum est aut profundum, quod ipse non penetraret, tam de futuro quam in presenti, cognoscens perfectissime quod est, quod fuit, quod erit & quod esse potest, etiam occultissima cordium, lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, sol illuminans res omnes, quo cessante offunderentur omnia tenebris, nec res cognosceretur momentum aut pulchritudo; cognoscens quæ ventura erant super eum in ipso hoc quasi momento, quomodo Iudas iam adesset extra portas Hierosolymitanas & progredederetur cum milite suo ad hortum, in quo ipse deprecabatur Patrem, iuxta naturam humanam anxius & pro angustia captivitatis imminenti, pavens ante, post orationem fervens astitisse nobis à S. Ioanne depingitur non temeritate aliqua orta ex ignorantia periculorum imminentiū per insidias & dolos, uti nobis fieri solet, sed per scientiam beatificam clarus videntque futura.

O Splendor lucis æternæ quam tunc decorus & pulcher stabas in stola tua? sed tenebræ te non comorehendebant, ideo laternas & faces accendebant, ut viderent te lux illuminans omnia, non erant hi Diogeniani, sed potius similes isti ebrio, qui in meridie per laternam domam obstupescente populo, ducebatur & præeuntem sequebatur, ut ebrii solent, non videns cæli luminare coruscare.

§. 11. Proceffit. v. 4.

Confortatus Iesus ab Angelo non modo constantissime locutus est, sed promptissimo stetit animo hostiles manus expectans: tantum enim abest ut instar hominis meticulosi, vel trepidaverit, vel aufugerit, ut & inimicis obviam processerit. Tantum enim animi robor ab Angelica consolatione sumplerat adversus passionis procellam, ut nullum vel pavoris, vel tardij signum habuerit. Contra quoniam discipulos prospiciebat factos animo imbecilles, eos utcunque stimulavit secum obviam ire, factis declarans mortis horrorem non esse illis metuendum, qui cum Domino stant. Et cum sciret Christus Dei Patris voluntatem esse, ut pro nobis redimendis moreretur, & quod hora passionis instaret veniensibus inimicis prudentissime occurrit, ut nos etiam redderet catos, quoties Deus aliquot nobis afflictiones immittit, oportere quod eas patienter sufferamus, & non maxime quando alia via, quam impietate, eas effugere vel à nobis depellere non valemus.

O Betæ

O Benedicte Iesu, ubi iam ille timor, qui paulo ante te occupabatur? ubi iam illi gemitus? illic anxietates? terribilis ille mortis horror? paulo ante, cum etiam procul essent hostes, tristis eras usque ad mortem: nunc cum coram ante tuos oculos praesentes adstant, & tanquam leones rugiunt, tui sanguinis cupiditate furentes, non exanimaris; non times; imo forti animo vadis obviam. Video, video: amor pro me salvando cogit te vehementer; voluntas quam in manus Patris resignasti ultrone pro me compellit te ita insurgere, uti gallina pro pullis contuevit pugnare. O ineffabilis benignitas & amor! seipsum Dominus lupis exponit, ut oves suae evadant immunes a moribus eorum. Da igitur mihi clementissime Deus, ut abnegem propriam voluntatem meam adeoque submittram sub te Domino meo, ut, si opus sit, pro te vicissim exponam vitam meam.

§. 12. *Et dixit eis, quem quaritis. v. 4.*

Ecce animum promptum Christi ad patiendum, non solum enim adversariis occurrit, sed prior interrogat, quem quaritis? idque humano & amico quodam tono, non increpatorio & severo ad eos percellendos apto, quo, uti postea, statim perculli fuissent & retrocedendo cecidissent. Sed non sic Dominus meus; mitis est, suavis est. non agit uti nos passionibus agi & agere solemus.

O Jesu dulcis amator hominum; quis amor cor tuum absorbit, ut ad mortem quasi ad nuptias properes! hostibus perinde ac amicis obviam procedas? expectare saltem poteras, donec ipsi te alloquerentur; sed sicut salutaris amicus in via, ita eos prior es allocutus, dicens: *Quem quaritis?* nimirum amoris ignis per tua se membra diviserat, & medullas animae tuae liquefecerat, & urebat, postquam sudore sanguineo ex te exierat omne frigus naturalis timoris, ut iam totus esses propensissimus ad satisfaciendum dilectionis exactiōni & per charitatem animatus, ut Gygas imperterritus ad currendam viam salutis nostrae alloquens inimicos ut te arriperent cito citius. O amor indicibilis salutis nostrae, da gratiam Domine, ut saltem aliquo amore tui ferveam & ad aliqua levia pro te, offeram me.

§. 13. *Responderunt ei, Iesum Nazarenum. v. 5.*

Si hoc verbum eo animo protulissent, quo ipsum in se significat, fuisset responsio & inquisitio plane sancta. quid enim est querere Iesum Nazarenum? utique non aliud quam illum quem scimus venire debere ut salvet mundum a peccatis & a diabolica potestate. at ille non fuit sensus respondentium, sed talis qualem habebant etiam Scribae, Pharisei, Pontifices

B

fices

fices & Seniores populi; qui eos miserant, ut eum caperent, morte turpissima afficerent, eraderent de terra viventium; ut non maneret eius memoria in æternum. iste fuit sensus eorum, qui bonum imo optimum verbum responderunt.

Domine Deus, satis clarè video idem verbum posse esse in ore fidelis mel, & in ore infidelis hominis esse fel. video verbum tuum posse dici ab homine catholico & ab homine Apostata: sed tamen longe diverso sensu & animo. Iesum Nazarenum hi milites quærunt & se quærere dicunt, sed quam diversa intentione ab illis scæminis quæ post paucos dies venerunt ad tuum sepulchrum, itaque non statim credam omnes esse sanctos qui verbum tuum crepant, sed examinabo eorum intentionem quia video idem verbum posse esse in ore iusti & reprobari diverso fine.

§. 14. Dicit eis Iesus: Ego sum. v. 5.

Quasi eis diceret: Erratis amici mei, Ego ipse sum quem quæritis insidiosè per Principum vestrorum mandata capere, & idem ego ipse sum Iesus, de quo Prophetæ vestri prædixere venturum Messiam ad liberandum populum suum à peccatis eorum, à morte ad vitam, & vitam æternam. nolite ergo alium quærere Iesum, præter me, Iesus enim sum & salvator vester, quem quæritis, si igitur & vos quæritis salutem, eni adsum præstiturus etiam vobis, quam iam aliis sæpe dedi.

O Christiane, si impijs hominibus se & gratiam suam tam promptè obtulit Christus, quanto promptius eandem gratiam, imo se ipsum quoque offerret his, qui ipsum in veritate perquirunt! Discamus iam ex hoc verbo Christiano candorem prudentem, ut nomen nostrum, nomen Iesu Christi, fidem nostram libere confiteamur; si à Tyranno audis, es Christianus: es Catholicus: libere responde, *Ego sum*, ut, per constantem fidei confessionem, cum Christo esse merearis, disce blandis verbis respondere etiam inimicis & calumniantibus te. disce quam blande excepturus sit electos in reditu suo victores, si tam benevole exceptit hostes in prociectu ad bellum.

§. 15. Stabat autem & Iudas, qui tradebat eum, cum ipsis. v. 5.

Non sine causa hic dicit adfuisse Iudam proditorem tanquam belluarum furentium ferocissimum, & Ducem militiæ infastæ stetit ante cohortem, ut prior apprehenderet Iesum Magistrum suum, dum hæretibus suavia proferebat. *Ego sum*, ut ostenderet animum peccatorum, qui in

profundum de venerunt, quam ille sit impudens & perditus, ita ut omnia verecundiam exuerit. sane si unquam impudentis hominis exemplum extiterit, illud certe fuit.

O Filij hominum ratione utentium nolite malis moribus vos dare, nolite discere peccatum, videte in hoc impudente speculo, quousque venire possit homo, si sibi non caveat ab initio peccati, uti ludas, qui sibi non cavuit ab initio, à parvis furtis, & pervenit ad magnas prodiciones & tantam impudentiam.

§. 16. *Vt ergo dixit Iesus, Ego sum. v. 6.*

Videamus quid sit hoc verbum *Ego sum*. Cum Moyses mittebatur à Deo ad liberandum populum Israëliticum à servitute Ægypti & interrogare nomen mittentis se, responsum accepit, Dei mittentis nomen esse: *Ego sum qui sum; vel qui est*. quod nomen si ruditer expendatur videretur esse ridiculum, quia nobis apparet quod etiam alii sint qui sunt. Sed si hoc ipsum exacte perpendatur, revera nomen est, quod soli Deo convenire potest per essentiam, aliis per aliqualem tenuemque participationem. Deus enim solus est de quo semper verum est *Ego sum*. de aliis creaturis non semper est verum: *Ego sum*. Sed verum est, fuit tempus cum non erat. cum ergo Dominus noster Iesus dicit, *Ego sum*, mirificum verbum eructavit; nempe eundem se esse, qui olim Moyli locutus sit, *Ego sum*. Hoc nomen est illud quod Iudæi sub quatuor literarum notis pictum ineffabile censebant esse, nempe qualibet litera verbum notante integrum ut esset perinde ac si diceretur *DEUS EST, FUIT, ET ERIT* uti Buxtorfius in Lexico suo, licet acatholicus, contra suos fratres faretur, qui cum suo inscitissimo Iehoua solent Bacchanalia celebrare quasi magnam rem fecissent legendo, quod legi non potest.

Gratias ago tibi Domine Iesu quod confessus es esse te illum, quies, & qui fuisti semper, & qui semper eris. Hæc confessio est fidei nostræ prima propositio & basis. Da obsecro gratiam ut hoc nomen tuum semper contra Arianos confitear & bonam eius vim in me experiar.

§. 17. *Abierunt retrorsum & ceciderunt in terram. v. 6.*

Etiam infaustam vim habet idem nomen Dei & verbum *Ego sum*. quia Iudas & socii eius illud audientes cadunt, terrentur, deficient. Agnosco evenire huic nomini, quod evenit etiam solis radio, ille lutum indurat, picem liquat, arenam exurit, germen fovet. itaque verificatur etiam hic proverbium, *Vnumquodque iuxta quod capax est recipit actionem agentis.*

ris. Iudas ergo & societas eius, quoniam improberant, capaces erant terro-
ris & ruinæ à Deo. at discipulis laborantibus bono animo in remigando
exobedientia, idem verbum auditum solatio fuit.

DEus meus cupio esse in societate eorum qui per verbum tuum Ego sanus
animentur, non conturbentur. Cupio esse in numero discipulorum re-
migantium, non autem te nequiter tentantium & prodentium; ne verbum
tuum sit mihi causa ruinæ, sed consolationis.

§. 18. Iterum ergo interrogavit eos. v. 7.

Erectos à terra & sanos, inimicos tamen Principes Iudæorum, qui
aderant eorumque ministros, Iudam discipulum suum, sed proditorem, &
militem, perpetrato & viso hoc insigni miraculo. potentia suæ in ipso, ut
magnitudinem cæcitas eorum in medium proferret, iterum interrogavit,
vel nunc errorem suum vellent corrigere & tandem aperirent oculos men-
tis suæ, & agnoscerent divinum quid esse in hoc homine, qui verbo eos
profigasset, in terram prostravisset & exissetque sanos, & incolumes.

Hic iam paulisper, ad te conversa vide quæso ô anima mea, quam im-
patiens, quam sæva & vindictæ appetens sis, unico verbo ad iram ad
contumeliosa verba, & ad tui ultionem expetendam commoveris & com-
mota semel non potes loqui adversariis tuis. Certe hic Christus non de-
dignatus alloqui vilissimum proditorem suum, eumque amicum dicere &
dulciter osculari: deinde etiam cæteros inimicos amice admodum inter-
rogavit, dicens: *Quem queritis?* cum surrexissent prostrati, ut eis locum resip-
iscentiæ daret licet sciret non emendandos. Tu autem præteris prox-
imos tuos, eis loqui contemnens, talique dedignatione seu aspernatione ad
odium maius eos invidiamque provocas, sicque animas eorum perdis,
quas amicabili aspectu & suavi verbo placare & ad charitatem commo-
vere posses: certe sic non fecit Christus, Dominus meus, qui etiam inimi-
cos suos amice admodum affatus est, ut lucraretur animas eorum, & do-
ceret nos mansuetudinem admiscere correptionibus, potuisset sane ter-
ram scindere & reprobos demergere aliisque modis ulcisci, sed maluit ad
terram affligere nobis in exemplum ut nostros inimicos potius ad resipil-
centiam trahere quam delere studeremus.

§. 19. *Quem queritis.* v. 7.

Cum iam surrexissent inimici una voce Christi retro pulsi & in ter-
ram cadere coacti, & starent ad vindictam parati, odiis ferociore, amice

que terribiliores, oculis micantibus instar leonum ore spumante, rubicundo vultu, apertis galeis, strictis gladijs, minantibus hastis, & fustibus in Iesum: sedato iterum & mansueto animo, voce amica interrogat eos, quem quaerent, ut ostenderet se non comprehendi vi velex imbecillitate, neque improvise. Homines quidem capiuntur vel ex impotentia, quia nequeunt resistere, vel ex ignorantia, quia insidiis circumveniuntur. Neutrū horum in Christo locum habet, nam sciens omnia quae ventura sunt super eum processit eis obviam, deinde cum abdere se posset, prodidit se, dicens. *Ego sum*, nullius occursum, timens. Leo de Tribu Iuda modo & longè postea, sed mox agnus occidendus, audent interrogare, quem quaerent, imo non respondentibus suggerere volens: dixi vobis, quia ego sum, ostendens impotentiam ipsorum ipsis, si sese ipsis tradere noller.

Cæci quem quaeritis ante vos est & vobiscum loquitur nec tamen agnoscitis? En quam facile est Deo humanam deludere astutiam! frustra osculatur Iudas, frustra afferuntur faces ad Christum agnoscendum, nisi enim sol iustitiæ se ipsum prodidisset, nullis indagaretur facibus, nimirum *oblatu* est quia ipse voluit, non quia Iudas prodidit: altera fortasse causa quia iam in cena constituerat novam Ecclesiam, *Novum testamentum in sanguine suo*, ut ostenderet Ecclesiæ suæ & testamenti firmitatem & invincibilitatem contra Iudæos, paganos & hæreticos. Aderant in hac turba ministri Pontificum, Seniorum, Scribarum, Phariseorum, gentilium. Isti omnes designant aliquos ordines persequentium Ecclesiam Christi, Pontificum ministri falsos fratres inter Catholicos quales solent esse subinde Ministri ipsi Episcoporum. Ministri Seniorum sunt Politici & Machiavellistæ. Ministri Scribarum sunt Doctorum perversorum sectatores. Ministri Phariseorum, Hæretici; denique Pilati Ministri sunt Gentiles & Turcæ, omnes isti conati sunt & conantur Christi Ecclesiam perdere: sed periit synagoga, periit Idololatria, periit Hæreses, periit Politici, & falsi fratres, stetit autem Ecclesia & stabit etiam in posterum. Cadent vero Hæreses quotquot sunt adhuc aut erunt.

§. 20. Illi autem dixerunt Iesum Nazarenum. v. 7.

Communis est Patrum sententia Christum Dominum à puncto Nativitatis usque ad mortem opera divinitatis & humanitatis ita inter se permiscuisse atque conciliasse, ut utriusque manifestissime omnium oculis paterent signa & clarissima argumenta. Natus enim est ut homo parvulus, & plorans; sed ut Deus ab Angelis adoratur: circumciditur ut homo,

B 3

sed

sed nomen Iesus illi imponitur, quod Salvatorem significat: fugit in Egyptum ut homo, sed ut Deus cum primum in Egyptum Idola eius concidere fecit, præsentatur ut homo in templo sed ibi tanquam Deus à Simeone & Anna recognoscitur, & divinis Canticis honoratur; baptizatur in Iordane ut homo, sed tunc Patris vox intonuit filium Dei naturalem illum attestans: Esurit in deserto ut homo, sed virtute divinitatis per quadraginta dies absque cibo & potu corpus sustinet: tentatur ibidem à Diabolo ut homo, sed ecce Angelus tanquam legitimo suo Domino ministrabat: Modo tristabatur & pavebat & sudabat ut homo, in horro; sed ibidem potentiam divinitatis suæ palam facit unico verbo *Ego sum*, armatos Duces, & milites in terram prosternens, quo facto eum tamen non cognoverunt, unde etiam ad verbum veritatis. *Ego sum*, non respondente. te quærimus. quasi eum agnoscentes, sed quasi ad incognitum dicunt. Iesum Nazarenum quærimus, quem te non esse scimus. Hoc autem non fuit propter tenebras quia habebant lucernas & faces, sed divina virtute factum est, primo ad ipsorum confusionem, ut vel hinc discerent se frustra insanite, maxime autem ad consolationem nostram, ut sciamus hostes nostros, ut maxime nos facie noverint, nihil tamen malorum posse contra Dei voluntatem nobis intentare, cum nec agnoscere nedum occidere possint.

NOli, noli, ô anima mea, unquam in tenebris obscuræ, cæcipientisque conscientiæ agere, quasi ibi Iesum invenire, possis, sed in lumine gratiæ. *Nunquid cognoscuntur in tenebris mirabilia eius aut iustitia eius in terra oblivionis.* Per noctem quæsit spona, quem diligebat anima eius & non invenit, quid mirum igitur, si & tu frustreris, eum quærens in tenebris: non sumus ergo noctis & tenebrarum, sed filij lucis. sed si te unquam testes mentis tenebræ comprehenderunt: accede lucernam tuam, modicum adhuc lumen quod in te est, nempe conscientiæ rodentis, & quære drachmâ salutis quam perdideras. Accede per verâ pœnitentiam ad lucem, alioquin pedibus inaccessibilem, & *lucerna fulgoris eius illuminabit te*, quia illuminat omnem hominem, sic ad se venientem. Sic ô milites vos illum quærete oportebat cæcipientes, scrutatores & noctuæ: sed per diem incurtilis in tenebras, & quasi nocte, sic palpastis in meridie. Quando lucerna hæc ardens sub modico corpusculo, tanquam sub modio, in modico tuguriolo labeat: tunc Reges illi, stellæ adminiculo solem quærebant quia ipse necdum suo fulgore prodebat se; lumen quærebant lumine, quod ipse sol eis accenderat. *At vos hanc illustram mundi lampadem, tot iam miraculis*

tem, hoc cæli iubar tot divinis splendens eloquiis, tot charitatis igr iculis, quasi scintillis iniectis mundum incendens, seque palam modis omnibus manifestans; vos, inquam, illud cæleste sidus ac lumen divinum, facibus sæcularis industriæ fumigantibus, laternis latentis nequitiz, lucernisque male lucentibus, quærebatis: idque (quod omnium est pessimum) ut unicum & solum hunc solem exstingueretis.

¶ Deirco videritis Impii Iudæi, lucifugæ, & quotquot in vestris aliorumque cordibus accensum Christi lumen exstinguitis. Videritis (inquam) quid in die iræ, sitis facturi, vel dicturi; quando discussis ubique tenebris, nuda omnia & aperta futura sunt oculis Domini, quem iam vestris laternis & facibus hypocritarum more investigatis. Audite miseri noctambulones quid ipse tum, vice versa, se facturum promittat: ne ridicula vos fallat opinio. *Et erit, inquit, in tempore illo scrutabor Hierusalem in lucernis, & visitabo super viros defixos in facibus suis.* Nihil inscrutatum relinquet oculus eius: renes & corda remabitur: vitia & virtutes, cogitatus, verba & actiones. *Cum accipero tempus Ego, inquit, iustitias iudicabo.* Si iustitias iudicabit an rectæ iustæque per omnia fuerint, quid de iniustitijs & iniquitatibus expectandum, Si Hierusalem, vrbs sancta, & conscientia religiosa ac timorata discutienda veniet, quid tutum in Iericho vitæ fluxæ & inconstantis, in Babylone confusæ conscientiz, & in Sodoma animæ abominandæ futurum est. Vbi mundi vanitas, ac stultitia, scelerum universorum confusio, summaque impuritas viguisse dignoscetur!

§. 21. Respondit Iesus: dixi vobis, quia Ego sum. v. 8.

Nolebat Iesus ut alium quærerent Iesum quam ipsum sive ad vitam, sive ad mortem, ad vitam quia non est aliud nomen sub cælo in quo nos oporteat salvos fieri; ad mortem, quia nemo alius est agnus Dei, dignus aperire librum clausum & solvere signacula eius & offerre semetipsum hostiam viventem ad honorem & gloriam patris, pro salute hominum, & antiquum illud hostis maligni delere chirographum sanguine suo, & hominem ab æternæ redimere morte. Certe Pontifex vester vaticinatus est, necesse esse ut unus moriatur homo pro populo, ne tota gens pereat: ille ergo homo Ego sum: Ego, Ego, agnus innocens sum pro salute populi offerendus: ideoque nunc vestris me tradomanius. Sæpe quidem & capere me & occidere desiderastis, sed nondum venerat hora mea. Iam vero adest hora illa & potestas tenebrarum, explete iam sitim & ferocitatem vestram in me, Ego sum quem quæritis: paratus sum ferre quidquid in me

EXCOL.

excogitare potestis. Capite me, rapite me, ligate me, ad mortem quoque ipsam ducite me. Adsum.

O Domine quantam erga nos ostendisti charitatem! quando solus pati & nullum hominem tua de causa affligi voluisti, qui passione tua temporali nos ab æterna liberare decrevisti, non ut nos sine tribulatione & dolore huius præsentis vitæ pelagus enavigaremus, sed ut nobis præteritis temporis afflictio esset salutaris & ut illam toleraremus nati ex Adam, exemplum nobis insigne proposuisti, in quo videmus quid possimus. Dicam ergo morbo, paupertate, calumnia, humilitate adventante & quærent me: Ego sum, ego sum illa pati dignus. Imo dignissimus.

§. 22. Si ergo me quæritis, sinite hos abire. v. 8.

O amicam vocem Iesu: Ecce curam maiorem habet de suis, & nobis quam de se! Nota charitatem ineffabilem & adentem Iesu, Christiane, & imitare, vult ipse perire volens, lubens, ut nos salvet; vult mori, ut nos vivamus. O stupendam charitatem Iesu! quis eam comprehendet. vere hic ostendit quod alias dixit. *Ego sum pastor bonus, bonus pastor animam suam ponit pro ovibus suis*, salutem enim Apostolorum eligens, ultero se obrulit. Unum dat sufficientem pro vita omnium redemptorem ut & mortuorum & vivorum imperium acciperet solus ergo qui ex vitio Patre est vita pro vita omnium vitam suam carnalem tradidit, ut nos vivificaret sua vita spiritali. Primitiæ dormientium Christus, & primogenitus ex mortuis ad immortalem vitam hominibus per resurrectionem suam viam aperuit. Semovit igitur à periculo illo discipulos, non ignorans ad se solum certamen illud & opus salutis nostræ pertinere: regnantis enim & non servientis nature opus est. Iussit autem sinere discipulos abire, ut impleretur sermo quem dixit: *Quia quos dedisti mihi non peridi ex iis quemquam*. Neque expediebat, ut discipuli cum eo morerentur, i. ne & ipsi à simplicioribus mediatores reputarentur & Christo æquiparentur, unde convaluit illa Pauli exhortatio ad eiusmodi genus hominum, qui dicebant. *Ego sum Pauli, Ego autem Apollo Ego vero Cepha, Ego autem Christi: nunquid Paulus crucifixus est pro vobis, aut in nomine Pauli baptizati estis. 1. Cor. 1.* Solus Christus est qui redimere nos potuit. *Torcular calcavi solus*, inquit Isaias, & de gentibus non est vir mecum. Solus ergo ipse sufficientissimum pretium fuit ad nos omnes redimendos, id eoque sub typo discipulorum nos omnes in libertatem asseruit, dum ipse pro nobis ligari voluit. Pulchre hoc indicavit Dominus cum dixit: *Si ergo me quæritis sinite hos abire, quasi dixerit: si ego victima esse pro peccatis debeo,*

debeo; Ergo homines dimittendi sunt, quia pretium sufficiens pro omnibus Deo pendam. 2. si & ipsi capti & supplicis subiecti fuissent, non potuissent Christi esse testes & Legati per mundum annuntiare redemptionem in nomine eius. Omnibus igitur profuit Dominus, quando se pro Apostolorum orbem conversaris substituit.

O Domine quam promptus & paratus & præcursus omnium te ipsum pro nobis in mortem tradidisti, & tu ex obedientia Patris in omni contumelia, tormentis & pœnis perferendis, patri es obsecutus; & discipulis pepercisti. Te quidem obtulisti, verum illos illæsos abire fecisti. Noveras quippe ad tolerandas passiones, ipsos adhuc minus esse idoneos. Distulisti ad tempus quoad utique habiles fierent: quemadmodum nutrix circa infantis curam materno vigilat affectu, donec educatus validior fiat. tunc & ipsa quem prius fovebat gremio, exercet laboribus & ad mundi perferenda mala non paroit. Hinc dicebas: *si ergo me queritis, finite hos abire.* Eia Domine da mihi, ut tibi in omnibus obediam, nec respiciam ad proximos, qui me per iniuriam contristant, sed ad tuam immensam charitatem ex qua tribulationem mihi immisisti: sic gratiam tuam in me agnoscam præ omnibus excæcatis, qui tibi in mea vocatione quotidie contradicunt; ac illis magis compatiar, quam me ipsum contristem. Verum sicuti pepercisti discipulis tanquam adhuc ad passionem imparatis: ita benignus intuerere meam infirmitatem & supple tua divina gratia quod in me desideratur. Amen.

§. 23. *Vt impleretur sermo quem dixit: quia quos dedisti mihi non perdidisti ex eis quonquam. v. 9.*

In oratione illa post cœnam, apud S. Joannem, rogaverat patrem Christus, ut servaret eos quos sibi dedisset Apostolos, in Passione, & post mortem eius ne deficerent à se, quorum curam habuisset usque eo, nec quonquam perdidisset, ut ipsi manentes post resurrectionem prædicarent veritatem, euntes in orbem terrarum, omni populo sive Iudæorum, sive Gentium, & horum Apostolorum Christo in carne mortali viuo, nullum ipse Christus perdidit, sive destruxit; sua incuria aliaue causa data amisit. solus Iudas, à se ipso occisus fuit, non ex negligentia Christi aut contemptu, sed propria ex malitia. Quonquam etiam aliter idem dictum exponi possit, nempe sic: quos mihi absolute dedisti, & non ut solum ad tempus aliquod mecum essent, ex his nullum perdidisti. Iudas autem prævidens non per se veraturum finaliter, solum ad tempus accommodasti, ut secun-

C

dum

dum illud tempus subserviret ad aliquid. Aliter, & planius etiam accipi potest idem verbum sic: quos mihi dedisti ut servarem, dedisti autem omnes, ita servavi, ut nullum ex eis libens, quantum in me erat perdidit, sed plane renitente voluntate mea & conatu humano. Utinam omnes pastores animarum possint quandoque dicere in die districti examinis, utinam patres & matres, præceptores & superiores, quos dedisti mihi non perdidit ex eis quemquam sed ad gloriam tuam maiorem eos enutriti, in virtutibus educavi, nullum malum exemplum dedi, sed omnia docui verbo & exemplo, quæ facerent ad ædificationem spiritus & animæ, morumque bonorum instillationem. felices patres, matres pædagogi: & nati feliciores, taliter educati in timore Domini, vitæ & morum honestate, omniumque virtutum operatione: vere beatus ille quem cum venerit Dominus in venerit ita facientem, sic docti namque fulgebunt sicut stellæ firmamenti, & qui sic erudiunt multos quasi stellæ in perpetuas ætates lucebunt.

OMnipotens æterne Deus qui in Ecclesiæ ædificationem & defensionem etiam literarum scholas constituisti in quibus parvuli de divina tua voluntate, & sua salute erudirentur, & parentibus de prolibus, Dominis de suis ministris curam habere, ne infidelibus sint deteriores præcipisti: largire obsecro omnibus Christi fidelium parentibus, Dominis & Præceptoribus & mihi *sedium tuarum a sinistra sapientiam, quæ nobiscum sit, nobiscum laboret ut sciamus quid acceptum sit coram te omni tempore quid decet, subditos scire, ut doceantur, tum in vera & Catholica fide, in tui timore & dilectione, atque in omni Christiana pietate ad perpetuum honorem tui nominis atque discipulorum salutem. Amen.*

§. 24. *Simon ergo Petrus habens gladium. v. 10.*

Nolo disceptare unde hic Simon Petrus istum gladium habuerit. Potuit enim habuisse de sæculi rebus ex proprietate sua, potuit & in ultima cœna iussu Domini Nostri comparasse uti de S. Petro & S. Ioanne ad S. Lucam dicebam esse probabiliter factum. id solum considero, quod ille gladium habens duobus nominibus appellatur nempe Simonis Petri. in hoc enim mysterium esse video, quod oppugnat Arnaldistas, & Pseudo pauperes illos, quos olim Iandunus, & Marsilius hæretici foverunt, qui omnem potestatem & opes sæculares volebant Christo & Apostolis abrogare dicentes, eos nullam rem habuisse in quam ius habuerint, præter nudum usum facti, quam hæresim Ioannes XXII. Papa & Doctores cum eo refutaverunt, ex quo tempore victrix veritas agnovit & docuit non solum

Clericos proprietatem bonorum, sicut singulares homines, possidere; led etiam Regulares & paupertatem professos in ordinibus religiosis verè Dominium bonorum in communi, item honores & officia posse habere, & post Paulum III. atque secutos Pontifices, etiam religiosum simplicibus votis religionis, in Societate Iesu nuncupatis, verè usque ad solennem professionem Dominium bonorum suorum posse retinere ad superioris sui arbitrium abdicato solum usu. Hanc doctrinam docet me iste Simon Petrus adhuc, postquam omnia reliquerat, habens gladium. Vellent quidem filii sæculi & hæretici, ut Clerici & Regulares nihil haberent bonorum temporalium, vellent ut nudi & egentes essent omnes Deo devoti & quantum possunt, etiam statuta novis hoc inducunt. Veruntamen infatuare non possunt, quod Simon Petrus habuit gladium, sæcularem potestatem & principatum (qualem nunc Pontifex Romanus & multi per orbem Episcopi & Prælati religiosi tenent) significantem.

PROvidentissime Iesu, qui postquam Ecclesiam instituisti novam sine rugâ & maculâ speciosam in sanguine tuo per institutionem venerabilis Sacramenti, sub speciebus panis & vini transubstantiatis in corpus & sanguinem tuum, ad remissionem peccatorum; etiam consecrasti sacerdotes qui eandem Ecclesiam regerent. constituisti & Episcopos qui confirmarent, potestatem concessisti, usque ligandi atque solvendi; etiam providentissime indicare voluisti, quid de bonis temporalibus in eadem Ecclesia esset tenendum & ordinasti, ut in ea etiam esset ius & Dominium bonorum temporalium imo principatum, & ideo dixisti, ut qui peram haberet, eam venderet; & qui non haberet eam, venderet tunicam & emeret gladium, quo Ecclesiam defenderet contra inobedientes & insultantes. tibi Domine gratias ago pro ista clara determinatione facta per gladium Petri, etsi invidi quidam Catholici contra murmurent, & hæretici impii calumnientur. Verum hi Malchiani sunt, & auriculæ suæ oportet ut timeant. Ego vero obsecro ut tales rectores & gubernatores semper des qui utantur taliter iurisdictione etiam temporalis in Ecclesia tua, ut tranquilla pace lætetur & late promoveatur. Amen.

§. 27. *Eduxit eum. v. 10.*

Videns Domini & magistri sui caput instar apum circumdari & pun-
gi unguibus & aculeis, contundi fastibus, & colaphis & alapis & pugnis,
affilire ad captam prædam, instar famelicorum canum & leonum, inimi-
cos: Quid ageret Petrus memor verborum quibus obligaverat se velle

C 2

cum

cum Domino & in carcerem & mortem ire, nec quempiam aliorum & discipulis se movere pro defensione Domini sui; arripuit subito gladium suum & evaginato illo. cepit muscas illas à capite Iesu, & famelicos canes & leones à corpore eius fugare, putans sic mandasse Dominum suum dicentem: *Qui non habet gladium vendat peram & tunicam, & eruat gladium.*

Bene, bene faciebas S. Petre, quod gladium non frustra portasti, uti Pontifex & S. Ioannes tecum, uti Episcopus vel Cardinalis Ecclesie Dei & Christi, ad correptionem malorum & vindictam pro bonis, maxime pro Domino ac Deo tuo Iesu Christo. Sed in uno, uti videbimus errasti, quod absolutam potestatem tibi arrogasti in usu gladii, cui non illa tibi convenit, sed dependens à Deo & iustitia & ratione solum tibi data est potestas quoad gladium. Hoc igitur est iam amplius videndum.

§. 26. *Et percussit Pontificis servum, v. 10.*

Adhuc currit factum Petri, nam de iure postea videbimus. Ergo non solum eduxit Petrus gladium de vagina, sed & eo usus est percutiendo, ut diverteret à Domino latrones, nec hoc facto Petrus peccavit, eo quod licitum opus fecerit ex pio & ferventi amore quem debebat habere ad magistrum suum: licet aliqui contradicant, quod peccavit, eo quod nec Index fuerit, nec à iudice auctoritatem habuerit; sed hi non attendunt, quod etiam privatis sit ius inculpatæ tutelæ se suosque Dominos defendendi. Adhuc ergo bene agis S. Petre Dei Apostole, dignus Princeps Ecclesie; inculpatæ tutelæ iure agis contra hostes Domini & Dei tui, etiam Pontificis servum percutiendo, non possum negare hoc, etsi Pontificis servos credam honorificè habendos; in hoc tamen casu erat plus quam Pontifex ille qui lædebat innoxius. licuit ergo tibi & sociis tuis illum defendere contra iniquum invasorem; atque utinam sic omnes Ecclesiarum Principes & Episcopi & Prælati essent animati, & olim fuissent contra Lutherum & similes Ecclesie eversores, tunc non evenissent mala illa, ob quæ ipsi hæretici obstupescunt, qui scribunt se attonitos expectare quo omnes & grandes isti motus Europæ in bellâ ruentis. sint spectaturi & deventuri, nimirum sentiunt se accendisse tormentarium pulverem, sed incendium excitatum à se iam non posse regere. fatentur.

§. 27. *Et abscidit auriculam eius dextram, v. 10.*

Adhuc pergit currere Simonis Petri factum, siue attentatum, & cetera. Quis monstratur abscissa auricula. Mirare autem anima mea fervoreto
Petri.

Petri: mirare quod unus contra tot armatos stet intrepidus, mirare quod percutiat piscator intra cohortem militum & ministrorum armis assuetorum, pro defensione Domini sui Iesu Christi, & tu imitare Petrum, cum videris agi de honore Dei tui, ne vacilles, sed memento satius esse incidere in manus hominum, quam in manus Dei viventis, satius esse mori in carne, quam relinquere legem Dei sui: mirare iterum & considera, cur Apostolus Petrus utatur gladio cum Christus non eum docuerit digladiari, aut percutere, sed discere à se quod mitis sit & humilis corde, & beati sint pacifici, quodque filii Dei vocandi sint; veruntamen ista sic considerans: noli scandalizari in Petro, quasi peccet, hoc enim dicens magis es Malchi quam Christi amator: siquidem non prohibuit Christus, ubi agitur de honore suo & Ecclesie sue sanctæ bono, defensionem, ut quis non utatur gladio materiali ad resistendum inimicis: superstitiosum esset hoc credere: Princeps Apostolorum est Petrus qui educit gladium & percutit & abscindit. Quid hoc aliud significat quam quod muneris eius sit & gladio spirituali amputare putrida membra Ecclesie; & cum infideles armis suis corpus Christi aggrediuntur etiam armis nostris licere defensionem, idcirco etiam idem Petrum ne videretur muliebris animi sed verè heroici, condecuit Præceptorem evaginato ense velcum corporis dispendio defendere.

DEus, cuius dextera Beatum Petrum non minus pugnantè confortavit, quam ambulanti in fluctibus ne mergeretur erexit, & coapostolum eius Paulum non minus excommunicantem & diabolo tradentem eum, qui peccaverat, quam tertio naufragantem de profundo pelagi liberavit, exaudi nos propitius & concede ut amborum meritis & intercessione zelum Dei & Ecclesie habeamus & utrumque ad verbum Dei & eloquia eius super mel & favum dulcia libenter amplectenda imitemur.

§. 28. *Erax autem nomen servo Malchus. v. 10.*

Describit Evangelista nomen & conditionem percussit & dicit nomen eius fuisse Malchus, & servum Pontificis Iudaici conditione fuisse, quæ duo dant ita in S. Petri percussione concurrere video, non parum admiror casum humanum sive potius Dei in eo concursu consilium. Ecce enim Petrus designatus & electus pro Ecclesia nova Christi Pontifex incidit in servum Pontificium legis veteris sequenti die abrogandæ & iste percutit gladio, hic percutitur, & iste abscindit auriculam & huic ea abscinditur & abscindens super omnia ista vocatur Petrus seu Petra & abscissus vocatur Malchus seu Regulus, imò abscindens vocatur Cephass & Pontifex cuius servus abscinditur, vocatur, Caiphass. quis non miretur mirum

concursum? Ego certè multum miror & dulcessi mihi ista concurren-
tium meditatio. Placetne audire quid hic speculari? Credo & promo, ille
Petrus sic aggreditur sibi subiugare veterem Ecclesiam & Pontificatum
eius licuti Christus aggreditur debellare infernum & Principem mundi
huius & mox ipsum Caipham, sic Petrus servus Iesu, Malchum servum
Caiphæ; Petrus aggreditur Malchum, & hic vincitur; Christus aggredi-
tur Caipham & hic superatur. In persona Petri latent Pontifices Romani,
in persona Malchi rebelles Ecclesiæ Romanæ reges & Principes; Petro ac-
cedit gladius, Malcho decedit auricula: iste augetur, hic diminuitur. Iam
fatis indicavi, quid mediter, nempe totam Ecclesiasticam Historiam, cuius
hic breve posui compendium.

O Gloriosa Dei civitas, sancta Romana Ecclesia tu quidem pateris mul-
tas afflictiones & insidias, sed tamen sancti Petri iostulta firmitate sem-
per vivis & vicisti, etiam Imperatores & Reges potentissimos. Hæc est
virtus tua Domine Iesu, qui dixisti: portæ inferi non prævalebunt adver-
sus eam, Amen bone Iesu.

§. 29. Dixit ergo Iesus Petro: mitte gladium in vaginam, v. 11.

Hactenus vidimus agentem Petrum futurum Christi vicarium, iam
videamus etiam Dominum quid ille de eadem re iudicet & in eadem cau-
sa agat. Non audio quidem vocem Christi Petrum damnantis, sed tamen
aliter quam ipse iubentis; nam ait: *mitte gladium in vaginam*, ex qua Petrus
eum eduxerat. an igitur Christus & vicarius eius divisi sunt minime. Pe-
trus Dominum volebat defendere & Dominus volebat à Petro defendi
Ecclesiam, cuius ipse caput est. adhuc concordant. Sed illo temporis arti-
culo nolebat Dominus defendi gladio per vicarium suum; hoc Petrus nesciebat: sed si scivisset, concorditer æque cum Domino voluisset & ideo et-
iam gladium vaginæ reddidit melius edoctus id quod nec scire poterat
nec scire debebat, quoniam ad suum officium non pertinebat scire, an Do-
minus suus id reculasset eo tempore fieri, quod ratio suadebat se facere.

Omnipotens sempiternæ Deus, Creator omnium Imperator Angelo-
rum, Rex Regum & Dominus Dominantium, qui Abraham fidelem
servum tuum de hostibus triumphare fecisti, Moyli & Iosue populo tuo
Prælati victoriam multiplicem tribuisti: humilemque David puerum
tuum per victorias multas regni fastigio sublimasti: Petrum autem illo
tempore per gladium corporalem vincere noluisti; respice quæ sumus Do-
minos

mine ad preces humilitatis nostræ, & super famulos tuos Imperatorem, Reges, Duces & Principes, Magistratus & Officiales benedictionum tuarum dona multiplicata, eosque dextera potentie tue semper, hic & ubique circumda, quatenus prædicti Abrahamæ fidelitate & Moylis mansuetudine freti, David humilitate exaltati, etiam Salomonis sapientia & iustitia decorati tibi in omnibus complacent, & per tramitem iustitiæ inoffenso gressu semper incedant. Exaudi pro universis ordinibus supplicantes, & gratiæ tuæ munere ab omnibus tibi gradibus fideliter serviatur, ab Episcopis Presbyteris, Diaconibus, Acolytis, Exorcistis, Lectoribus, Ostiariis, Confessoribus, Virginibus & Viduis, Regibus, Principibus, Iudicibus, Magistratibus quisque in suo statu & officio, te Duce & Rectore gubernetur.

§. 30. *Calicem quem dedit mihi Pater, non bibam illum. v. 11.*

Quomodo ergo implebuntur Scripturæ figuræ Patriarcharum & oracula Prophetarum? Adverto hic quod sanata auricula Malchi & illi restituta dixit Christus Petro, quatuor hæc verba, primum *Converte gladium tuum in vaginam*, quasi diceret, cesset vindicta modo & exhibeatur patientia, omnis enim qui gladium accipit hoc videlicet & importuno tempore alias etiam ad vindictam zelo iustitiæ, gladio peribit, id est, malus usus gladii erit causa perditionis illius. Vnde per prædicta verba tunc interdictus est usus gladii materialis Petro, nequaquam tamen vel ipsi vel successoribus eius in sequenti tempore pro Ecclesiæ ipsi commissæ bono, in causa magni detrimenti Ecclesiæ, aliud enim est nolle Dominum pro se pugnare armis, & aliud nolle pro Ecclesiâ sua pugnari. Ecce ipse Dominus qui pro se neminem percussit, vendentes in templo flagellis eiecit. Possunt etiam Clerici & religiosi in suis personis pugnam dimittere, pro Ecclesiâ autem sæpe tenentur suscipere & hoc est quod S. Ambrosius docet scribens, *Arma Clericorum sunt orationes & lachrymæ*, item, *ideo dictum est Petro, Converte gladium tuum in vaginam*, ut Clerici & Prælati armis bellicis per se non utantur sed pacem quærant & foveant, suis pravis consiliis non suscitent bella, nec inter sint ut præliantes. Secundum verbum Christi ad Petrum fuit illud quod Iohannes dicit, *Calicem quem dedit mihi Pater non vis ut bibam illum* ac si diceret, Ex quo definitum est à Patre meo cœlesti, ut per mortem meam genus redimatur humanum, cui tu vicarie præeris, nullo pacto debes tantum bonum impedire, nec divinam ordinationem bello imprudenti impugnare: nisi enim biberis hunc calicem mortis, nec tu, nec cæteri salvari potestis, sine ergo Petre, ut modo moriar ad tuam & omnium

num electorum salutem. Tertium verbum Christi fuit illud quod habetur in Matthæo ubi dicitur *Quomodo ergo implebuntur scriptura?* scilicet si non patiat: si enim non patiat, falsa locuti sunt sancti Dei Prophetæ, & per consequens Deus Pater decepit eos quibus revelavit passionem meam, sic autem sentire gravis est blasphemia, & velle cum plena adverte[n]tia hoc impedire, esset dementia. Quartum Christi verbum ad Petrum in eodem Matthæo habetur & fuit tale; *an putas quia non possum rogare Patrem meum & exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones Angelorum.* ac si diceret, non ego auxilio imbellium Apostolorum, qui possunt habere duodecim legiones Angelorum. Ecclesia mea sæpe egebit, hanc tibi & successoribus tuis vnice commendo, illi providere labora, hoc opus tuum erit.

DEus mens da Prælati Ecclesiæ tuæ in omnibus eius curam agere, da ut nunquam indiscretionem aliqua excedant, da ut magna cautela bella declinent & solum causa boni publici, cum evidens necessitas cogit, in illa sese intromittant.

S. 31. Cohors autem & tribunus & ministri Iudeorum comprehenderunt Iesum. v. 12.

Quemadmodum milites urbem aliquam obsidentes muri partes dirumpunt, summo furore eam aggrediuntur, & nemini parcentes occidunt lactentem cum homine sene: omnia dissipant, diripiunt, ac devastant: ita sane Christi hostes in eum irruerunt facta potestate, cohors militum, ipse tribunus, ipsi ministri Iudeorum Christum pressantes irruerunt, veluti rupto muro. Quidam apprehendebant vestes eius, alii mittebant manus in capillos capitis, alii barbæ pilos inhumaniter vellebant, alii pugnis & alapis cædebant, ac tandem ira perciti, quod eos prostraverat cum rectorum cadebant in terram, ipsum vicissim proiecerunt, & conculcaverunt: Itaque omnes simul, prout quisque poterat variis iniuriis afficientes, imperum fecerunt vnanimiter in eum: Sicut enim ignis diu compressus, nec valens erumpere, & aqua fluminis diu retenta, nec valens elabi, si forte derit exitus, & repagulum dissolvatur, vehementius erumpit, adeo ut fortissima mœnia aliquando solo æquaverit: ita sacrilegum desiderium capiendi Iesum, quo ardebant Iudæi, tot portentorum signis impeditum ac compressum, cum primum data fuit à Domino facultas, vehementiori, quam dici possit, impetu foras erupit. Hanc Christi comprehensorum rabiem ac inauditam petulantiam indicant aperte verba Davidis, in persona Christi loquentis: *Circumdederunt me vituli multi, tauri pingues obsederunt me,*

aperu-

aperuerunt super me os suum sicut Leo rapiens & rugiens, & infra. Circumdederunt me canes multi, consilium malignantium obsedit me, circumdederunt me apes.

O quam profunde dejicit se maiestas divina ut nos exaltaret! quam humiliter cunctis se submitit hominibus, quo nostram expiaret superbiam, nostram inobedientiam aboleret. Videte annon verè humilis ipse vermiculus fuerit, conculcatus pedibus Iudæorum, despectus, conspuratus, occisus? nunquam latro aut scelestus quispiam tam crudeliter & inhumiliter tractatus est & turpiter deformatus, uti Iesus Christus filius Dei.

O lesa dulcis, amabilis Domine; quo præ nimia pressura veram cor meum? attendo enim ex una parte quantis in angustiis & pressuris fueris, cum ibi tam miserabiliter iaceres inter canes illos rabidos, qui omnes ut leones famelici te agnum innocentem discerpere cupiebant & dilaniare; ex altera autem parte ostendo quod peccata mea causa fuerint passionis tuæ? quis vero tam ferreo sit pectore aut frigido corde, quem hic amor non accendat? quod enim nos tartareis eramus exurendi flammis, hoc Christus, in se recipiens pœnam debitam nobis ex amore purissimo pro nobis ipse perpeffus est, quo nos à potestate Sathanæ, & mortis vinculis liberaremur.

§. 32. Et ligaverunt eum. v. 12.

Funibus utique & catenis, catenas ad collum projicientes, manus benedictas instar malefici, qui ducitur ad patibulum, retro ad dorsum funibus connectentes: circa lumbos & corpus cordas vincientes, quibus arctius teneri & ad arbitrium impiorum & petulantium Iudæorum trahi possit per devia, dura, & sordida quæque & hoc ad instantiam Iudæi discipuli & proditoris, qui continuo acclamabat, tenete eum fortiter ne elabatur, & ducite eum caute, ne mihi impuretur, quod non steterim promissis, eum tradendo summis Pontificibus à quibus præmium expecto & laudem & gloriam.

O Iudæe, cui illas manus ligas reſtrices orbis, tuæque authores libertatis? per quas ligati solvuntur & his vinculis ignominiose ducitur per te, trahitur & rapitur! quid facitis impij Iudæi ligantes, qui vincula vestra iam dirumpere debet & intendit? vos facitis quiddam simile Philistæis, qui Salvatorem populi Israëlitiçi ligaverunt prodente eum Dalila coniuge sua, nisi quod ipsi hostes erant & alieni, vos autem cognati huius.

Sed bene habet, gaude & exulta anima fidelis, quia ceciderunt tibi funes in præclaris, etenim hereditas tua præclara est tibi, nam toræ peccatorum tuorum moles ut civitas iniquitatis funibus hisce sponsi circumdata in torrentem passionis eius, detrahetur, ut non maneat in ea lapis super lapidem.

D

Non

Non credis hoc? audi Isaiam *Munimenta sublimium murorum tuorum concident, & humiliabuntur, & detrahentur in terram usque ad pulverem.* Plura desideras? vide in his vinculis vetera renovari mysteria. Christus ut *Zara* Latine oriens, & splendor patris) cum fratre de primogenitura contendens, manum protulit, synagoga Iudæorum, uti nostræ salutis obstetræ; coccinum rubricatum in sanguine Agni alligavit. *Pharez* homo, qui se à Deo per peccata diviserat, liber evadit. Vis aliud? *Simeon* (obediens scilicet) Gen. 42. in medio fratrum suorum in Ægypto ligatur; ipsi verò liberi dimittuntur. Quid amplius? centum ligaturis vix passæ in Christo passio, placatur iratus David ab *Abigail*, & solo percusso à Deo *Nabal* stulto, veteri homine, salvatur familia femine prudentis. O admirandam vinculorum Christi, Christique victi potentiam! his siquidem non solum vincula peccatorum nostrorum dirumpit, sed & portas æreas & vedes ferreas confringit: Artem & vim nosse desideras? attende penitius, dum funibus his fortior Christus, propter peccata nostra, ligatus fuit, eodem quasi peccatorum nostrorum fune nobis fuit alligatus. Dumque nos hoc fune constructi ad damnationis lacum, ab eo qui nos vicerat, trahebamur, Christus ad crucem nostram quidem nobiscum quod merueramus est pertractus, sed ipse fortior mox in valescens ad cælum nos pertraxit. Ipse hoc prædixerat, *Cum exaltatus fuit à terra, tractus per hortum, per plateas, per palatia, per viam usque ad Crucem, tunc omnia traham ad me ipsum.* Optime, optime. Sic ars artem se fellit. Sic *Lucifer* tertiam secum stellarum partem trahens, Angelorum videlicet sibi per conspirationem colligatorum reiectus est, à toto genere humano, quod trahere intendebat.

Gratia tibi Iesu, promissum *Osee* 11. implesti dicentis: *Ego quasi nutritus Ephraim portabo eos in brachiis meis & nescierunt quod curarem eos, ac si dicas, scio quid faciam: in funiculis Adam traham eos in funiculis charitatis.* Vincula dolorum Christi vincula charitatis esse etiam sunt, quibus nos illi alligemur. Sic exploratores *Iosue* per *Rahab* fune sunt liberati: nam per funem de fenestra demissi sunt: Deinde etiam ipsi *Rahab*, & amicis eius funiculus coccineus eidem fenestræ alligatus dedit salutem. Dicamus ergo illi correspondentes eius amoris & charitati, Domine mi, omnes nervi mei & arterie omnesque venæ funiculi sint aurei, quibus te intime alligare possim meo cordi, ut nec mors, nec tribulatio, nec gladius unquam valeant me à te separare.

§. 33. Et adduxerunt eum ad Annam primum, v. 13.

Quid facerent aliud venales manus Iudæ, & militum, non fecerunt.

ras auri sacra fames nam & Iudas & miles æque pecuniæ avidi, vinctum instar triumphantium ad Annam primo duci voluere, qui auctor insidiarum non ultimus fuerat, pactusque erat, uti creditur, pecuniam Iudæ, & militibus, si rem bene peragerent, & sibi vinctum adducerent Iesum, infensissimum hostem Pontificum, & Sacerdotum legis Mosaicæ. Ille vero visa re bene gesta pecuniam pactam mox eis & lubentissime numeravit, & oculos senes præsentia capti Christi pascabant, Tribuno militum dicente in hunc modum: En venerande senex hominem captum & durissime ligatum tibi præsentamus, qui se præ sanctissimis Pontificibus exaltavit, & Messæ nomen sibi competere iactavit, forte sperans te, & genero tuo tota denique familia, à munere Pontificio amotis, rerum omnium summa potiri. Cum autem potuerit per nos non modo comprehendere, verum etiam durissime ligari, constat argumento irrefragabili, quod Deus à parte eius recessit & sic causam eius prædamnavit. Igitur imposterum esto fauste senex à lacri animo, quia nemo reliquus videtur qui tuæ dignitati incommodum adferre velit, & hisce quasi illecebris aucupari. Ex pontificis gratiam intendebat, nam & Annas Princeps sacerdotum erat, quod primus fuerit septuaginta duorum concilij Sanedrini sub Caipha, qui & à genere Pontificio genus ducebat, & multo tempore inter Iudæos Pontificium munus administraverat, generumque haberet nomine Iosephum, cognomento Caipham, qui eo temporis Pontificatu summo potiebatur. Fortasse etiam Caiphas astute procuraverat, ut Christus ad socerum primitus duceretur, quo minor mortis Christi iniuria sibi imputari posset, si iam fuisset Christus alterius ante se, olim summi sacerdotis præsertim tam lenis sententia prædamnatus.

Quid ad hæc dicis anima Christo fidelis, quantum putas doloris & amaritudinis, tanta inimicorum Christi insultatio, & orta inde impiorum hominum læticia Christo intulerit? mea quidem sententia maximum quod suos adversarios videret suis infortuniis mirificè delectari, cum & Davidem fidelem servum Dei longe minor derisio commovit ut diceret, *Confundantur qui me persequuntur, qui querunt animam meam, ut auferant eam, & non confundar ego?* Maxime cum talium confusionum nullam iste Christus meruisset, sed ei deberetur omnis honor & gloria, & nos meriti esse mus opprobrium sempiternum, atque in subannationem, & derisum his qui in circuitu nostro sunt, esse deberemus. exurge igitur anima mea, exurge mecum omnis in Christo baptizate, laudem dicite Deo nostro, omnes qui nostis hæc patrata esse pro vobis & timete cum & date gloriam laudi eius.

§. 34. *Erat autem focer Caipha, qui erat Pontifex illius anni. v. 14.*

Continuat Euangelista describere Annam & Pontificem quod mirum esset Pater uxoris seu nuptæ Pontifici anni illius, hoc enim imponebat nomen focer. & hac descriptione S. Ioannes multa nobis utilia suggerit, bene perpendenda. 1. quod Annas ille fuerit similistarina homo cum Caipha, quia si huius iniquitatem verè odisset Annas, non dedisset uxorem ei in ualori sui Pontificatus suam filiam in uxorem. 2. quod iste Annas fuerit homo valde ineptus, qui de Pontificatu Iudæorum amotus, suo exemplo communicando tam arcte probavit suam deiectionem & alterius institutionem contra legem Mosaicam, ex illa tamen Annæ malitia hoc boni elicuit Deus, quod valor Passionis Domini multum fuit stabilitus. Si enim Annas siue Ananus, uti Iosephus eum vocat, fuit legitimus Pontifex, & iniuria deiectus est, & succedentibus e tribus brevi tempore substitutus ei Iosephus Caiphas, non fuit legitimus Pontifex, bene factum est, quod ad Annam omnium primum ductus fuit, ne nobis Christianis postea obijci posset, quod à Pontifice non legitimo, sed in ualore Christus esset damnatus & ideo non esse Christum verum agnum paschalem, utpote à non legitimo Pontifice immolatum, &c. talia quæ dici potuissent per istam adductionem ad Annam fuerunt valde efficaciter impedita, quoniam Annas ipsemet, alias legitimus Pontifex, Christum Dominum palam ad se ductum, ad Caipham transmisit, veluti suum vicarium, vel, uti Pontificem saltem toleratam.

Domine Iesu dulcissime, cuius potentia & imperio omnia curvantur, cuius maiestas ita est inclinata, ut pro me ab inimicis tuis capi, ligari & tradi dignareris, & interea sapientissime cavisti, ne tuæ Passionis valor politiciis subtilitatibus & disputationibus de iure & competentia legitimi iudicis evacuaretur, tibi gratias immensas ago pro ista tua providentia, & illi me totum subdo & committo, quoniam maior est quam omnis totius mundi sapientia collecta.

§. 35. *Erat autem Caiphas, qui consilium dederat Iudæis. v. 14.*

Post Annam etiam depingit nobis S. Ioannes ipsummet Caipham, siue illegitimus seu legitimus Pontifex fuerit; ac primo à nominis descriptione ordiundo, interpretatur *sagax* aut *vomens ore*, quia consilium dedit Iudæis, velut rector, vel ut vice Pontifex Ecclesiæ Mosaicæ, quod consilium revera erat ipsius spiritus sancti dictamen; sed quoniam ipse erat corde malus aliter illud proferebat, quam Spiritus S. & ideo bene *sagax dicitur* quia verum dixit, *Et ore vomens*, quia quod verum dixit, corde pervertit.

solo ore evomuit consilium, in destructionem corporis Iesu & vitæ intendens, agitante eum superbia, odio & invidia & non in bonum generis humani, quod Spiritus S. Christi morte intendebat, ut nimirum mediante morte Christi toto orbe filius Dei, & agnosceretur à populo, pro Salvatore & Messia mundi & coleretur. Idem igitur fuit verbum & consilium Spiritus sancti, quod & Caiphæ; sed longe dissimili modo & intentione prolatum. Quoniam Caiphæ per mortem Christi intendebat eiusdem dehonorationem atque abolitionem & eradicationem de terra viventium, ut ipse Caiphæ retineret populum Indaicum sibi subditum & devotum amoto Christo; sed Spiritus S. intendebat ut morte Christi intercedente omnes populi terrarum salvi fierent, & Christus pro eo quod animam suam posuisset, omnia ad se traheret & videret semen longævum & fieret ipse Pontifex in locum veteris Pontificis.

Ecce tam diversas intentiones & sensus habuerunt Spiritus S. & Caiphæ sub eodem verbo externo, sive sub eadem litera. Quid igitur mirum est, si hodieque sub iisdem verbis sacræ Scripturæ, alium habet sensum pravum hæreticus, volens mastrare & sibi congregare, atque Catholicus, volens salvere & congregare Christo Domino, sensum bonum habeat. Noli igitur seduci Christiane, noli decipi, si audis *verbum Domini; verbum Domini.* fuit verbum Dominicum, quod Caiphæ dixit contra Christum, & fuit verbum Domini quod dixit pro Christo eodem Spiritus S. sed aliter iste, aliter hic dixit. multum refert quomodo aliquid dicatur. Hoc plebs non sapit, ideo eam facile seductor Caiphæ capit, & sero sapit.

O Domine Iesu da mihi sedium tuarum assidricem sapientiam, quæ mecum sit, mecum labore, ut intelligam quæ sint præcepta & voluntas tua. Illumina intellectus mei tenebras, ut videam quæ videnda sunt, intelligam quæ sunt intelligenda ad gloriam tuam & meam salutem, & qui es æterna Dei Patris cælestis sapientia, per quem omnia creata sunt & qui cum ipso in unitate Spiritus sancti, es Deus, & caput unicum; qui etiam Petrum inter Apostolos in unicum Pastorem ovium tuarum & post ipsum unumquemque electum Pontificem in tuam vicarium habere voluisti, ad quem velut ad summum totius Christiani nominis Magistratum, quilibet se pro negotii, ac causæ qualitate recipiat; oro te suppliciter, ut illum ad populi tui gubernationem, Ecclesiæque tuæ utilitatem salvum & incolumem bonitate tua, ut gratia conserves, ut sub eodem erecta sincera, ac vera fide & religione gubernemur & in fidei meritis crescamus indies & adolescamus.
Amen.

§. 56. Quia expedit unum hominem mori pro populo. v. 14.

Vtinam sciret & intelligeret verba, quæ ore vomis, ô Caipha summe Præsul! certe ad pacem tibi essent & scires eum à quo tibi suggeruntur & cederes ei & agnosceres de quo homine tibi dicuntur, eumque adorares præsentem. Sed quia hæc abscondita sunt ab oculis tuis propter interesse tuum, à te male apprehensum, ideo eum persequeris odio, quem amare super omnia deberes, quia factus est pro te homo, qui est Deus, & quem revera expedit mori pro populo, sed ea intentione ut mortuus resurgens omnes gentes, etiam te, convertat ad se, & illum pro Salvatore habendo omnes ei communicent fide, spe, & charitate, doctrina, Hierarchico regimine & Sacramentis; non autem mori, uti tu cupis, ut eradatur de terra virtutum & non memoretur nomen eius amplius super terram.

O Caipha sic non oportet intendere; hoc enim est querere se & non bonum commune aliorumque, uti decet Pontificem caput universorum. Verissime agnosco in hoc licet intruso & simul impio Pontifice absentium Spiritus sancti quamdiu tolerate in sua seu Mosaica cathedra sedit. Ecce enim verum dicit, sed veritatem intentione homicidali dicit. Docet bene, agit male, fidei articulum bene proponit, etsi ipse eodem ad delictoria cordis sui abutatur, non habet iam legitimam causam desciscendi à sede Apostolica nec Lutherus nec Calvinus, bene doctrina fidei proponitur ab ea sede, etsi aliquando impius fuerit qui eam proposuit, certe nemo adhuc Caipha deterior in Cathedra Petri sedit & tamen Caiphas sedens verum dixit, donec vestem suam surgens dirupit. Deo gratias.

§. 57. Sequebatur autem Iesum Simon Petrus. v. 15.

Cæteris iam discipulis ingenti percussis formidine & dissipatis, quia adhuc erant infirmi, & nondum ab Episcopo confirmati, postea à Petro confirmandi, ideo nunc minime memores promissionum Domino factarum, quod essent parati ire cum Domino & ad carceres & ad mortem, ita namque Thomas dixerat, & c. promiserant qui iam fugerant, nisi eos excusare possit, quod Zacharias propheta vit dicens: Percutiam Pastorem & dispergentur oves, fuit interim aliqua infidelitas, post tot promissa: facti & fugi ignominiosa illis qui tot ab eo monitis erant prædocti, tot consiliis præeruditi, tot beneficiis præventi, tot miraculis illustrati; quorum & aliquando transfiguratione, testes fuerant gloriæ eius, & cæteris constantiores esse debuerant.

O Chri-

O Christi oves errantes quomodo à Pastore uestro receditis? qui vos à rapacissimis tuebatur lupis? O milites pusillanimes sicine terga vertitis inimicis relicto Duce in Campestribus, & inter agmina hostium constituto? O Duces exercitus Christiani quomodo fugitis nemine persequente: invalerunt hostes Regem vestram, & non fugit, & nemo invasit vos, imo nec invadere poterat, quia prohibiti erant omnipotentia Pastoris & Ducis vestri, & fugitis omnes? ipse postulavit pro vobis, *Sinite hos abire*, & cum oporteret tunc Christi amore succensos dicere, *Sinite hunc abire & tenete nos* illo infalutato ab ipso etiam recessistis. ille pro vobis certans pedem fixit in acie, & vos, pro quibus iniit certamen, ingrati & nimis turpiter infirmi fugam arripitis! O Apostoli ubi est Christus? sed video unum ex vobis saltem sequentem. iste est Petrus, Christi futurus in terra vicarius, iste solus pro vobis facit officium fidelis discipuli, iste non degenerat plane à fide quam Christo addixerat. *Animam meam pro te ponam*, iste iam gladio suo se probavit ultorem, & nisi prohibitus esset à Magistro victoriam inchoatam profecutus esset.

S. Petre Dei Apostole & Vicarie Ego te veneror humilime & adoro, quod Domino tuo & Magistro constanter adhæcisti, primus pro eo gladium levasti, primus es secutus captivum, non habeo unde te criminer in tanta perturbatione, fecisti quod nemo aliorum, nec quisquam nostrum fecisset. Dignus es accipere Pontificatum & vicariatum Christi, tu secutus es Dominum, nos Catholici te, & mediante te Domino connectimur communionem nostram tecum, quæ ipsa est gratia Dei.

§. 38. *Et alius Discipulus. v. 15.*

Adhuc plus. Video etiam alium discipulum sequentem vel post, vel cum Petro: quis autem ille? Gregorius ait: *Ioannes fuit*, Apostolus ille qui in cœna super pectus Domini recubuit, & alta à longe cognovit, quæ postmodum copiose eructavit: agnosce humilem Ioannis mentem ipse miranda laudum præconia dicturus de Petro eum nominavit, de se tacuit, gloriæ iactantium vitavit, proprium nomen suppressit: sed commilitonem Petrum & nominavit, & magnificavit. Hæc est vera fraternitas Christiana maior humana. Fratres & sorores inter homines colliduntur, assidue invident, rixantur, querulantur, etiam pugnis certant: Christiana fraternitas vide quo non evasit? ibi fratrem frater laudavit, se depressit, alium exaltavit, sui oblitus, curam alterius gessit. tales fratres fuerunt Petrus & Ioannes etiam hodie manent Petrus & Ioannes. iste Ioannes fuit Primus Pontificus.

tificus.

tificius, quia Pontificem Petrum dilexit, defendit, se ei associavit, cum in aulam Pontificis induxit.

O Christiani, maxime Catholici, nam de his, qui fidem amiserunt, quid speremus? vos alloqui dicitur Catholici, diligamus non verbo sed veritate; alter alterius onera portet. Subditi estote libenter Dominis etiam dycolis & immodestis. nolite dicere cum infidelibus: iste est impius, ego iustus servire ei non debeo, &c. nolite aspernari fratrem quem Deus non horruit esse filium suum; videte quid faciat Petrus & Ioannes; isti sunt bonum exemplum virtutis diligentis fraternitatem, non rodunt se, non miment, sed exaltant. Non video hic pasquillos, non famulos libellos, non calumnias.

§. 39. Discipulus autem ille erat notus Pontifici. v. 15.

Paulò ante credidi istum anonymum discipulum fuisse S. Ioannem nunc audiens esse talem, qui fuerit notus Pontifici, incipio vacillare & cogitare: quomodo quæso Ioannes piscator olim, post Christi discipulus, & quidem Galilæus, notus fuit Pontifici tanto viro & tam diverso, sive Annam intelligamus sive Caipham, an à puerilibus forte annis? in quibus frequenter usus sit aula Pontificis ob vicinitatem domorum ludens & conversans cum prohubus, & domesticis Pontificis? sed quomodo hæc, loca tam distita, ludæa & Galilæa, sinent credi. Veruntamen miræ familiaritates Hispanorum cum Germanis Belgis, Italis & similiter aliarum Gentium cum his & illis. Faciunt mihi probabile quod S. Ioannes potuerit esse notus Pontifici, ita ut non ausim dissidere, eum esse Ioannem. Et potuit tam Annas quam Caiphas esse oriundi ex Galilæa quam Ioseph & Maria habitantes in Galilæa erant orti ex ludæa seu Iuda. Si quis tamen ista suspitione nondum est contentus ob tenuitatem, suggero ei aliam cum maiore soliditate. Ego legens in Actis Apostolorum, quod turba multa etiam sacerdotum obedierit Evangelio Christi post resurrectionem Domini & Pentecosten, incipio suspicari inter eos etiam fuisse Annam istam, nam in illa dispositiones video ad Christianismum non malas. Ecce, notus est ei discipulus & quidem eminentissimus in amore Iesu Ioannes, & iste Annas est à Caipha degradatus sua in Pontificatum intrusione, & haud dubie dolet de Caiphæ pro se introitu & lesione, & ideo ab iniquo religionis capite alienus facile poterat alienari ab ipsa religione, pro qua oriebaturnota, tam evidenter de bonitate convicta, religio Christiana ante oculos suos, & iste Annas erat legitimus Pontifex, cui Deus pro animæ suæ remedio in humiliatione positi suggererat plures gratias, amoto iam tumoris obstaculo,

culo, nempe dignitate Pontificia, uti fieri solet, & iste Annas non inique se gerit erga Dominum captivum, interrogat de discipulis, & doctrina, quæ nonerant indigna, & non jubet Dominum percuti, quod fecit sponte sua impius satellites, & iste Annas videns Passionibus rem agendam cum Domino statim eum à se dimittit, ad Caipham, in cuius erat per ministros potestate, subtrahitque se à periculoso iudicio, salvans saltem se cum iam Christum salvare à bestiis non poterat. Iam puto me satis solide dixisse, quomodo S. Ioannes, & quam utiliter ac fructuose fuerit notus Pontifici, nempe ad frugem, ad informationem de Christo, ad iustitiam, ad fidem.

Domine Deus, mirabilis es tu in cunctis quidem operibus tuis, sed in conversione & tractu hominum ad te omnem mirabilium patratiorem multum excedis. Ibi omnes Theologi & Confessarij & Pastores animarum obstupescunt, & non remanet in eis spiritus; exemplis non est opus. Domine tu fecisti, tu scis ista omnia profundius, ego quasi per rimas modicum quid video, & hoc modicum me in stuporem rapit. quid erit, quando in claritate vultus tui videbo omnem captivam tuam explicatam! istue anhele Deus meus.

§. 40. Et introivit cum Iesu in Atrium Pontificis. v. 15.

Sine ulla repulsa vel ministrorum Pontificis vel militum, aut indignatione Ostiarum, quia iam notus erat, eo quod frequenter solet domum illam introire & in ea conversari. Intentionem autem Ioannis non fuisse puto ut sequeretur Iesum ex animi constantia, ut cum eo capi, ligari, pati, & mori posset, aut eius causam defendere coram Pontifice, sed ut videret, quonam diceretur vel quid cum eo agere vellet Pontifex, an examinare an captivare solum aut perpetuis vinculis condemnare, & per quos id esset facturus; an & alij à Principibus vel Senioribus populi adessent, ut tertius rei negotium olim perfecte quantum vidisset & audiisset referre posset. Unde cum Iesu introivit tantum in atrium Pontificis & ulterius non progressus est, sed Petro intromisso in atrium ipse, relicto & Christo & Petro, iterum abiit, & non rediit ad Iesum donec educeretur is baiulans sibi crucem ad montem Calvarie ibique crucifigeretur & moreretur.

Nescio quid de hoc discipulo dicam aliud, quam quod per illum Dominus Iesus operatus aliquid, quod possumus mirari, nimirum introductionem Petri in atrium, postquam etiam idem disparuit. Si S. Petro in isto atrio bene cessisset, dicerem singulari Dei gratia eum fuisse ordinatum ad introducendum Petrum; & hoc fere audeo sentire, Petro vix ibi lapso,

E

Fateor

Eateor tamen me hæere & nescire quid de hoc discipuli dicam incerto.
Si quis se expedire potest, expediat & me oro.

§. 41. Petrus autem stabat ad ostium foris. v. 16.

Magis in me accumulatur admiratio, Discipulus ille notus Pontifici
est in atrio, Petrus notus Christo est foris ante ostium: quomodo illa S.
Ioannes vel connektat vel opponat, nescio. iterum hæreo, quia non video
quid ad Petrum illa discipuli intus, positio, vel Petri extra atrium Ponti-
ficis statio. mira, mira! nisi dicamus à Deo ordinatum fuisse ob certas cau-
sas, quod Petrus deberet adesse in atrio Pontificis Iudaici, quando ibi tra-
dito Domino cepit collabi Pontificatus veteris Testamenti, ut eum ca-
dentem exciperet & colligeret gradatim Petrus designatus Pontifex novi
Testamenti. sit hoc sane quam diu aliquid ea de re melius non novi, ita si-
nam esse & servit mihi sic arbitrari, quoniam scio Christum Dominum esse
in quo connectuntur omnia qui & fecit utraque testamenta unum, &
quoniam ipse erat in aula Pontificis in illa hora ut connektaret utraque, o-
portuit ultimum veteris Testamenti Pontificem & primum novi conve-
nire apud Christum ut connekti possent. Ad hoc divina dispensatione igitur
ordinatum credo, ut Petrus foris staret, ut authoritative in atrium Pon-
tificis admitteretur seu introduceretur, ut in Christo & duo Pontifices
successores, & duo testamenta succedentia connektarentur. Sed quomodo
tam disparati Pontifices Petrus & Annas vel Caïphas connektarentur. ne-
mo hominum noverat, solus agnus noverat qui noverat aperite septem sig-
gilla libri apocalyplici. Iste modum invenit, Petrum post se traxit usque
ad ostium Pontificis & quæ secuta sunt ordinavit.

Domine Deus noster quam admirabilia sunt opera tua in cælo & in
terra! Ego illa considerans & amo & pæreo. amo dulcedinem provi-
dentia, pæreo processum iustitiæ, qui unum suscipis alterum relinquis.

§. 42. Exiit ergo discipulus alius qui erat notus Pontifici, v. 16.

Eluctatus sum utcunque ex perplexissimo dubio, cur Petrus securus
fuerit Dominum usque ad ostium Pontificis atrij. iam planior erit via ad
reliqua, quare nimirum ille discipulus notus Pontifici exiit ex atrio &
Petrum foris stantem introduxerit. suspicatus sum nimirum quod in ista
aula vetus & novum Testamentum connectenda essent & summus utrius-
que præses convenire illud & ille ut desinerent & abdicarentur, hoc & sic
ut solemniter iurarentur utraque per Christum & in Christo ad quæ
gane

grandem tractatum oportebat partes adesse. & una quidem pars iure incolatus in curia ista aderat, altera pars ad vocatione iusta & legitima introductione. Hanc autem fecit discipulus iste notus Pontifici, qui iam in curiam Pontificis iure suo intraverat ut iam etiam Petrum in eam introduceret legitime & Petrus ad tractatum se concernentem introduceretur legitime: discipulus ille mediator etiam necesse habuit exire: bene igitur exiit discipulus iste qui erat notus Pontifici, ut posset introducere existentem foris.

O Beate Christi discipule, anonyme, sive, uti ante coniectabam, Ioannes Apostole duo mihi verba sunt ad te, unum cur tuum nomen non expresseris, vel id nos latere debuerit, alterum ut gratias agam tibi vel benedicam quod in opere divinissimo te præclarissimum adhibueris Christo Instrumentum.

Tu à Domino adhibitus es sacratissimus & secretissimus Minister Novi & Veteris Testamenti in unum connectendi per Christum: Te paronymum quodammodo agente connexus est Magistratus veteris & novi Testamenti, non utriusque salva permanentia, sed unius iam iam destructione, alterius exortu, & possessionis quasi captura, in occupando palatio vacaturo per destructionem spontaneam vel in scissura stolæ Pontificiæ, per Caipham, vel spontanea dimissione Christi per Annam legitimum Pontificem ad intrusum Caipham. Vere tu es magnus inter Apostolos, tu es caritatis conditorium, tu es mysterium maximorum Dei Secretarius, tu divinissimorum operum executor. Tu tuum nomen & hic & alias subticuisti & tamen etiam clare innuisti. Syllabas nominis Ioannis præteristi nomen quod ab opere vel merito tibi competeat clare edixisti, cum agebatur de Christi causa, vocabas te quem diligebat Iesus, cum de Pontificis Judaici causa agitur, vocabas te notum Pontifici. Ostendens hæc vera esse hominis nomina, quæ ei tribuerent sua merita vel bene maleve facta. Ob hæc omnia alta & divinissima, quæ in te experimento comperio te laudo & summe post Christum & Petrum benedico & te iure à Domino dilectum agnosco.

§. 43. Et dixit Ostiaria & introduxit Petrum. v. 6.

Dixit rogando in sui gratiam, ut intromitteret Petrum ancilla ostiaria quia sibi notus esset vir cupidus videre Iesum Nazarenum captivum, nemo igitur potest calumniari Petrum non esse in aulam Pontificis iam abrogandi legitime ingressum, Ecce enim notus Pontifici ex curia exit ad

E 2

Petrum

Petrum & eum ad Præsidentem ostij adducit eidem propositum inducendi Petri exponit, illa consentit & mediator Petrum introducit post consensum. Ecce omnia ritè acta & Petrus legitimè in Palatium Pontificium inductus est ut incipiente vacare Palatio per desitionem eius qui tunc erat, Pontifex designatus possessionem vacantis Palatij confestim adire possit, seu aditam tenere.

O Ostiaria, si tu scires quis esset qui per notum Pontifici introduceretur, quod nimirum is esset successor tui Domini in Pontificatu mox futurus & quod ille intraret ad vacaturi palatij occupandam possessionem; tu certe vel eum exclusisses vel maxima reverentia excepisses. Sed absconditum erat hoc ab oculis tuis mysterium, ideo etiam ex aliis principiis operaris; Interea Deus omnium arbiter & rector etiam per te ita cæcè agentem operatur propositum suum & implet. Quoniam ipse novit omnibus uti, etiam malis, ad optima quæque de flexis.

§. 44. *Dixit ergo Petro Ancilla Ostiaria. v. 17.*

Hactenus bene Petrus & pro Domino suo pugnavit & nolente Domino pugnam & bellum omisit, & iubente Domino abitum suorum abivit aliquantulum & zelo stimulante secutus est eum usque ad ostium aulae Pontificiæ, & discipulo qui notus erat Pontifici, cum venia ostiariæ introductus est legitimè. Iam in eo quod bene ordinatum erat à Domino pro Petro, incipit Petrus impingere & errorem committere, nam ancilla ostiaria, incipit ei loqui & ponere Petro Petram scandali.

O Deus quam raro humana fragilitas in optime à te ordinatis progreditur sine lapsu & scandalo! quam crebræ pedicæ & decipulæ nobis occurrunt & nos hiante ore sorbent, nisi tu Deus ipsas pedicas occludas vel amoveas vel compescas! cunctæ creaturæ sunt hominibus in laqueum & ruinam nisi Dominus eos custodiat, ex illis etiam una est ancilla ostiaria ista, ut prò dolor videbimus.

§. 45. *Nunquid & tu ex discipulis es hominis istius. v. 17.*

Sermo iste perinde mihi sonat ac si diceret. Ille vir qui te, Petre, introducit iam, discipulus est Christi, novi, & novit Dominus meus Pontifex quia notus est ei & mihi. Ego te, quia iste te introducit, etiam suspicor esse discipulum istius, cuius ipse est discipulus, vel certe huius saltem qui te introducit. idcirco interrogo te nunquid ita est? dic candidè, aves concolores lubenter una volitant & noscitur ex socio qui non cognoscitur ex se, sic loquebatur ad Petrum ancilla ostiaria, quæ certe malè agebat, cum e-

nim discipulus notus Pontifici ei dixisset de Petro introducendo in atrium & illa non abnuisset ei, non debebat garrulitate otiosa vexare Petrum sic admissum & ei ponere scandalum, cum posset ipsa per se cogitare quod Petrus captivi hominis & periclitantis adeo, non esset se discipulum aut notum confessurus male itaque quæsiuit, quod negandum bene ratio providit.

PRò quantum mali causat garrulitas! non possum explicare, sed magis mirari, quod cum tanta mala ex garrulitate indies videamus, imo sentiamus, eam tamen non exhorrescamus & reseccemus. ibi omnes fere labimur & coinquinamur, ut bene dicat Apostolus: *Qui non est lapsus in verbo hic persectus vir est, &c.*

S. 46. Dicit illi. *Non sum, v. 17.*

Audio verbum tuum Petre, *Non sum.* sed nescio cogitationes tuas quas habes cum verbo isto. Sunt quidem verba hominum notæ earum rerum quæ sunt in animo, sed potest homo & notas dissonantes ab animi notis ponere, mentiendo; & potest adeo imperfectas ponere orationes, ut ex verbis animi conceptus certi nequeant elici, & potest verba ponere tam cata & arguta ut multos sensus etiam oppositos & pugnantes una patiantur. omnes isti tres casus possunt esse in tuo verbo brevi, *Non sum.* O venerande Apostole. Quid igitur determinabo. O beate Petre habes apud te Ioannem qui charitatem semper spiravit: iste mihi inspirat ut verbum tuum triplicem patiens sensum interpreter meliore modo, verbum tuum semel sonare potest. *Ego Petrus non sum discipulus Christi, nec fui nec ero,* iste sensus valde malus est, istum tibi arrogare non audeo quia causam non habeo ita iudicandi de te. Secundo sonare potest hoc: *Ego modo non sum discipulus sive in presenti quia ad tempus recessi vel fugi ex eius schola.* Iste sensus verus est, habet tamen annexam querelam cur id malum feceris tam bene de te merito? 3. sonare potest acute. *Ego Petrus non sum ex discipulis istius hominis qui me modo introduxit scilicet: quia tu Ostiaria quæris an sim ex discipulis hominis istius, & hic introducens est sane iste demonstrabilis homo, a quo imo melius quam intra captivus est demonstrabilis.*

Sed hunc sensum non credo fuisse S. Petri, qui mihi videtur simplicior fuisse quam ut sic arguraretur. Volo ergo in secundo sensu relinquere verbum tuum S. Petre & caritate operire si quod in tuo verbo esset peccatum, ut & tu & Dominus noster Iesus & alij operiant multitudinem meo-

rum peccatorum, & hoc confidentius ago quia video quod nec S. Iohannes istud verbum audiens, illud nulla nota mala insignivit.

§. 47. *Stabant autem servi & ministri ad prunas quia frigus erat. v. 18.*

Stabant quia servierant, etiam mancipia isti ministri, quorum officium est stare ad servitium Dominorum suorum, sed stabant sic, ut inter se sibi quoque starent, nempe ad commodum suum, ad prunas ut caleficerent, quia frigus erat, & quidem duplex frigus spirituale quidem in cordibus eorum stando contra ignem amoris Dei & iustitiae, adherentes iniquitati ad iniquitatem Principum suorum: Corporale autem frigus quia noctes & quinoctiales solent, ceteris non obstantibus, ut calido vento flante fit vel caelo pluente australi, esse satis acres & acutae & magis sentit quinoctialia frigora, quam brumalia ipsa siue solstitialia.

DEus meus utrumque frigus est valde noxium, sed magis spirituale, ex frigore tamen corporali disco aestimare spirituale; quia ego carnalis sum, non sapiens ea quae sunt spiritus, nisi per carnalia aenigmata, vel uti Philosophus ait per phantasmata. Multum tamen capio & sapio de spirituali frigore, cum illud speculor per phantasma frigoris corporalis. Averere igitur a me Domine malum illud frigus spirituale, uti soleo ego a me arcerere frigus corporale prunis, lignis, vestibus & hypocaustis.

§. 47. *Et calefaciebant se. v. 18.*

Externe quidem corpus, faciem, manus, pedes, fovebant, interne spiritum anima ipsorum manebat in frigore: erant apud ignem caelestem qui flagrabat & nullus eorum sese ei applicabat, nec ab eo calefieri optabat ardebat ipse ignis amore ipsorum, & consumebatur passionibus, & nullus accedebat, ut incalesceret spiritu, fide, compassione: Erat insuper lux vera quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum in mundo erat, & apud ipsos, & mundus eum non cognovit, sed neque Iudeorum vel Principes vel subditi. Heu mundi caecitas! omnes in corporalibus malis arcendis & bonis corporeis quaerendis sumus providi, imo lyncei, sed quam in spiritualibus hebetes, obtusi & caeci.

O Deus calefiam obsecro semper ex tuo igne divino, ita ardeam in corde ex tuo igne interiori, ut non curem, aut multum sapiat mihi calor eternus, ita calebat S. Franciscus ille tuus nudus & pauper, ut tamen amplius suo frigentem ut focus luculentus animaret. O si & ego totus sic ex te conflagra.

flagrarem! quam beatum me dicerem? Domine qui potes omnia, da gratiam, ut toto semper corde ardeam tuo sancto amore & inardescam magis magisque indies ut totus ex eo consumar.

§. 49. *Erāt autem cum eis & Petrus stans. v. 18.*

Iam Petrus in aulam Pontificiam erat inductus ut deficiente Pontificatu veteris Test. esset ad manum capturus possessionem vacantis officij & honorum ei annexorū ac iurium. Sed iste novus aulicus in uno turpiter deliquit quod se non Dominis sed ministris aulae aggregavit ad prunas ubi solent sepius esse scurræ, nihil scientes de Deo nihil curantes de amore Dei, omnem suam felicitatem ponentes in carnalibus iocis, amore, & teram terrenarum affectu, & perversi, ita ut periculum sit ne Petrus ab eis pervertatur & frigidus fiat ut ipsi erant in amore Dei frigidi, imo ut penitus totus frige factus defecisset plane à Deo suo nisi eum postea benigne respexisset magister suus & ei animum reddidisset. Veruntamen in Annæ aula adhuc salvus evasit, quia nullam in ea negationem video nisi eam quam ostiariae dixit sat obscuram. *Non sum.* bene habet quod in ea non negavit quia discipulus bonus eum istuc introduxit.

Deus meus audivi à multis quod quando aliquis se non immisceat temere in negotia, sed quasi vocatur ad ea tractanda, quod tunc talē Deus maiore cura & providentia gubernet; & credo sane ita esse quia video Petrum Apostolum tuum in Annæ aula in quam introductus erat à discipulo suo noto Pontifici satis secunde agentem & vix negantem ea spe eie quæ necessario involvat peccatum.

Oro igitur te Domine, ut gratiam istam des hominibus ne se temere in negotia immergant antequam vocentur.

§. 50. *Et calefaciens. v. 18.*

Dum ad ignem exteriorē accedit Petrus cum ministris, sensim in eo ignis interior charitatis deferveat; nam ibi mendacia audiebantur, iniuriis alter alterum famulorum lacebatur. ibi periuria, cachinationes, lasciva verba super numerum, colloquia prava cum ancillis & quorum auditu depravabantur mores honesti Petri, ut sui oblivisceretur & Domini. quapropter S. Maximus dicit, peccatum Petri & Adæ similitudinem quandam habere: utrobique Diabolus & vir & mulier illa Adamo, hæc Petro mortis ianuiam aperiens utraque instrumentum Diaboli ad fortes columnas everte ndas: illa per petitionem iniquam; hæc per interrogationem sacrilegam.

Domini

Domine quid dicam? proverbium est in terra nostra quod occasio facit
 turem, quasi diceremus etsi liberum arbitrium propriè loquendo est
 causa peccati quando deficit à bono, ad quod ordinatum est, æternita-
 men occasio tantam cum arbitrio iuncta vim habet in genere moris ut ip-
 sa videatur esse causa peccati, & ideo bene iudicat Ecclesia Catholica quod
 is qui proximas peccandi occasiones non vult vitare æquivalenter facit,
 ac si diceret, ipsum nolo peccatum vitare & consequenter bene præcipit
 peccatis non esse absolvendos qui istas occasiones vitare nolunt quia ve-
 vera ipsi ab eis recedere nolunt in tali casu. hoc cogito occasione Petri ad
 ignem stantis cum ministris, vnde brevi negatio Domini sequetur.

§. 51. Pontifex ergo interrogavit eum de discipulis suis. v. 19.

Evangelista nominat Annam Pontificem, sed quid hoc est? nonne
 iste erat Caiphas? etiam, an ergo duo Pontifices erant simul? variè hoc sol-
 vi potest, semel Pontifex accipitur pro Principe Sacerdotum uti Episco-
 pus, & semel pro capite seu Principe ipsorum Episcoporum. Iam sane est
 alterutro modo Annam dici Pontificem, aliter Pontifex semel & quidem
 absolute dicitur qui est propriè & verè talis & Pontifex cum addito dicitur
 qui talis esse videtur etsi iure non sit, & priore modo erat Annas Pon-
 tifex, posteriore Caiphas. sic solvi potest ista difficultas. iste igitur verus &
 legitimus Pontifex interrogavit Christum de discipulis suis, quorum iam
 aliquos saltem unum bene noverat & per illum haud dubie de Christo
 bene informatus erat & consequenter non adeo uti Caiphas intrusus
 erat.

Domine ut video, non solum passus es à magistratu tam civili quam Ec-
 clesiastico qui legitimus esset, sed etiam ab intruso, à quo si quod im-
 pender mali, multo miserabilius evenit & ægrius toleratur. Idcirco adoro
 tuam aheneam & insuperabilem patientiam, qua erga omnes istos magi-
 stratus usus es, tam legitimos quam intrusos & oro ut de illo patientia tua
 oceano rivuli quidam in me cæterosque Christianos emanent.

§. 52. Et de doctrina eius. v. 19.

Nihil adhuc mali in interrogatione Annæ depræhendo, poterat quæ-
 vis etiã privatus & Domino interrogare de discipulis item de doctrina eius
 discendi studio & modo convenienti, in loco & tempore opportunis po-
 test. Nec aliud hic video. Quid enim minus faceret Annas dum ad eum per-
 ducit cohors captivum, vel enim insidiosè Dominum captivum traxerat
 ad Annam abhorrentè, non nihil à Caiphæ processibus & attentatibus, vel co-
 modo

modo illaquearent Annam: vel serio, ita ut Annas ad se adduci vellet vel tanquam legitimum, malè exauthoratum, Pontificem, vel tanquam insidiatorem & machinationis contra Christum socium, quomodocunque exponam, nihil in ipsa interrogationis materia & forma video peccatum & si priorem quidem casum ponamus & causam adducti ad Annam Christi, dico eum valde proficue pro Christo interrogasse de discipulis & doctrina, quia ibi bene subsistebat Christus uti Annas noverat, & sic eos qui Christum adduxerant disponebat ad bonam informationem de Domino percipiendam & mitius tractandum.

Domine Iesu Christe; si iste Annas non sit ex genere malignantium sed æquus vir, - quod suspicor ex eo quod optimo tuo discipulo. fuit notus, tunc certe mirè elucet tua pietas & prudentia disponens omnia, ad homines vultu liberi sui arbitrij conservandos & reducendos in viam rectam nam post omnia priora etiam per Annam isto casu intendisti iuvare captivos tuos, ut bene informarentur, si non essent domus exasperans, pro hac inexplicabili charitate tua quam indies toto orbe pergis practicare dico te infinitis laudibus esse colendum & nunc te ideo adoro, etiam gratias tibi ago Iesu Christi propter hoc quod à die Baptismi tui usque in diem gloriosæ mortis nos docuisti, vita & moribus & in tempore congregasti conventum discipulorum & omni numero eorum elegisti tibi duodecim Apostolos ut per eos uti Episcopos subjiceres tibi superba & altissima mundi, & in illis diebus quibus tuæ clementiæ & misericordiæ finem expandisti omnibus revertentibus ad te, & remissionem peccatorum & introitum regni celorum palam omnibus prædicasti, perambulans civitates & castella, & sæpe fatigatus fuisti ex itinere & frigore & à solis fervore: & in his omnibus perpeffus es multas persecutiones & contumelias à populo quem elegisti in hæreditatem tibi. Qui observatores tui facti sunt in factis: insidiantes tibi verbis nequam die ac nocte sitientes mortem tuam; & resistentes tibi, dehonestantes te verbis & operibus & blasphemantes; cum tu interea sanares eos & benignissime occurreres eis, etiam per ipsos inimicos parans medicinam eis. Ego hic admiratione plenus defigor.

§. 53. Respondit ei Iesus. v. 20.

Non arroganter, sed considerate, ab omnibus advocatis desertus, hostibus circumvallatus, fretus causæ bonitate. Quia silentio d. si nullatione ve noluit prodere causam redemptionis nostræ, & quoniam hæc res

F

per-

perlinebat ad honorem Dei, ut eius doctrina cœlestis nequaquam ut
& fama dehonoreretur; dabat nobis exemplum bonum, ut libere & con-
stanter responderemus, cum Domini honorem polceret, sicut ipse. nam-
que in hoc uacis est & ad hoc uenit in mundum, ut testimonium perhibe-
ret ueritatis, ad distinctionem dogmatum, quorum alia falsa ut hæreses,
alia solummodo uerisimilia uti Philosophorum placita. Isti enim com-
miserunt ueritatem Dei in mendacium, & hi in cogitationibus suis er-
raverunt.

A Gergo auditor Christi, & Christum professi, ueraces simus, ut hinc
Christi discipulos nos esse quislibet agnoscat, maxime qui Christi per-
sonam in suggestu vel altari sustinemus; ne dicatur de nobis quod Osee
4. Deus conqueritur: non est ueritas in terra, maledictum & mendacium uen-
derunt: & apud Isaiam: Concepimus & locuti sumus de corde uerba mendacii, ne-
quandem etiam uerificetur in nobis, perdes omnes qui loquuntur mendacium.

9. 54. Ego palam locutus sum mundo. v. 20.

Videmus initium responsionis à Christo reddita Annano Pontifici
æquo, uti dictum est, viro, & informato iam ante per S. Ioannem. Hoc igitur
dicit: Non in secreto, quæ spectabant ad salutem credentium, & con-
uersionem animarum; quæque fidei, & morum erant: sed aperte, in tem-
plis, in synagogis, in castellis, & villis circumiens, in montibus & uallibus
mari terraque, millibus & millibus, me audientibus, locutus sum uerita-
tem, ut omnes possent habere scientiam salutis; manifestavi me ipsum esse
uerum Dei filium, à patre missum, ut omnes qui crederent in me haberent
vitam æternam.

Domine video quod bonum signum sit & proba nota rectitudinis, si
quis palam & publicè dicat, quod in secreto tractat, quando id ad pu-
blicam rem spectat, nam privata quæque euulgare est dementia. Idcirco
ego odi & detestor eos, qui apud superiores suos, apud Episcopos, in con-
cilio œcumenico suam doctrinam profiteri & sese sistere non audent, nec
ausi fuerunt nisi ingentibus salu conductis literis, à Regibus & Principi-
bus essent communiti, uti Lutherus, & Calvinus & omnes hæresiarum fe-
cerunt. Non sic Catholicis orbem pervadunt sine talibus literis, palam pro-
fidentur & profiteri audent doctrinam Pontificiam, impletur in eis hodie
que Isaiæ uaticinium: *supra montem excelsum ascende tu qui euangelizas, non
exalta in fortitudine uocem tuam, qui euangelizas Hierusalem: non eget firmis,
non eget dissimulatione, non eget fallaciis Christiana sapientia, Quod
adit.*

adhuc te latet, si nunquam ad Catholicum Prædicatorem Dani, Sueci, Finni, Lappones, Angli, Scoti, Livones, Pruteni, Pomeraniq; audiendum neque in templo, neque in synagoga accedere potuistis, interrogate quare Christina Regina vobis nota inter vos educata facta est Catholica, ipsa audivit in sapientia tua susurros divinos, illa palam annuntiat facto suo vobis non ignoto, quod impedimini audire verbo. excusare vos iam non potestis, ab auditione vocis, quæ exivit in totam Europam.

S. 55. Ego semper docui in Synagoga, v. 20.

Synagoga erat schola Iudæorum, in qua docebatur lex, explicabatur, Moysis & Prophetarum oracula legebantur, disputabant Doctores ad eruendam veritatem legis divinæ. & ad scholas tales sæpe sæpius intrabat Iesus Doctor Doctorum, disputabat cum aliis Doctoribus, explicabat etiam Moysen & Prophetas cum gaudio audientium, ita ut mirarentur omnes de sublimi & tum apertâ interpretatione eius, & quia semper se docuisse fateretur Iesus in Synagoga id est conventu plurimum publico, colligere possimus nunquam otiosum fuisse à doctrina sive in moribus, sive vita, sive loquela; sed semper occupatum in quærenda salute hominum, non secularibus se immiscuisse negotiis, sed spiritualibus semper, ad doctrinam totius Cleri & ordinum religiosorum.

Loquia tua Domine, sunt eloquia casta plusquam argentum igne examinatum, & ideo schola, ubi loqueris ad cor Hierusalem, sponsæ tuæ non habet maculam, neque rugam, sed nive candidior & luce clarior est. Propter quod discipuli tui qui in toto corde exquirunt te, fiunt etiam nive candidiores, & lucidissimo saphiro pulchriores, non enim admittunt impuritates filiorum Adæ, quæ solent inveniri in scholis hominum, qui dereliquerunt te. Tu quippe fili Dei candores lucis æternæ, & speculum sine macula; & propterea qui frequentant scholam sanctæ eruditionis tuæ, similes fiunt exemplari suo, & quidquid impurum est fortissime repellunt, sed ò puritas infinita quam intolerabiles lordes inventiuntur in scholis hominum, qui non curant scire & diligere te, quam turpis licentia vitæ crescit una cum disciplinis hominum, quæ discuntur, ad quærendum panem mortalis vitæ! non loquor tantummodo Domine de infidelibus quibus non illuxit veritas tua, sed de iis etiam, qui crediderunt in te Deum, & redemptorem suum, quorum pars magna non magis sequitur te, quam si in te non credidisset. Discunt quidam Iurisprudentiam semper imprudentes, discunt medicinam semper infirmi, discunt Theologiam Scholasticam semper aridi & frigidi, Huius tanti mali ratio est, quia oderunt ca-

stilitatem scholæ tuæ, & nolunt incedere per arctam viam vitæ. Error nimis
gravis & viris Christianis indignus est, quem odium animæ meæ, utinam
stulti isti saperent, & intelligerent, & novissima sua providerent!

§. 56. *Et in templo, quo omnes Iudæi conveniunt. v. 20.*

Et Synagogam & templum loca publica sunt, ad quæ convenire
querant quotquot volebant Iudæorum, & audire disputationes, lectiones, &
conciones Doctorum, & legisperitorum, & in hisce locis se docuisse ap-
te Christus fateretur, unde si erroneum quid docuisset, vel præter vel contra
legem scire poterant Iudæi, & Doctores ipsorum, & eum accusare: at nihil
invenit unquam vitij in sermone eius, & doctrina; imo omnia sancta &
immaculata, quæ ipsos Doctores in admiratione agerent, quia *injustitiam
erant recta, latifcantes corda, melle dulciores & non erat illis scandalum.*

Domine video te & in synagoga & in templo docuisse. Quando alii
homines attendo video multos sæpe docentes in Academijs & Gym-
nasijs, sed non æque in templo. Quod si ideo abstinent à doctore in tem-
plo, quod docendi in eo potestate carent. Bene est, alias si eis fas sit tibi do-
cere & non docent, nescio quid dicam, certe te non imitantur. Tu Domine
da cunctis, qui in templo docendi habeat potestatem, ut ferventer & pijs-
sime & pie doceant.

§. 57. *Et in occulta locutus sum nihil. v. 20.*

Pervulgatum est, quod qui male agit odium lucem, & quantum po-
test, venire ad eam refugit, ne opera eius deprehendantur mala, & palam
arguantur: ita qui hæreseos zizanas seminant, latebras & recessus quarunt,
& palam loqui erubescunt tam diuque differunt, donec magna assemblearum
multitudine muniti sint quæ prævalere valeant, similiter qui vera loquun-
tur in publicum, audacter prodeunt, ad lucem pergunt, ut ea cunctis frangere
perspicua quæ loquuntur, informant, erudiunt. Et ex eo Christus tacite
subinferre volebat quod, cum prædicasset palam in Synagoga & templo
nihil docuerit, nisi sanctum rectum, pium. Veruntamen occurrit questio:
nihilne domi? nihil cum una alterave persona ut Nicodemo, Samaritana
locutus est? Et occurrit Responsio, quod quicquid id fuerit, ipse semper
contentus fuit, ut à *dieta* in publicum propagarentur.

Q Pulchrum peccat, & candorem singularem Christi! utinam nos ser-
per ei studeremus sic, ut nihil loqueremur, quod non liceret in publi-
sum proferri, certe universus mundus melius haberet. At nos facere lo-
quimur

quatinus, & cura fatue alijs nostra credimus, ea evulgata esse ingemiscimus. Bis stolti. quod tacenda locuti sumus, & quæ publica fecimus garrindo nomen: oeculea esse velimus.

§. 58. *Quid me interrogas? v. 21.*

Multis modis hoc dictū potest accipi. 1. Improperatorie sic: tu vilis & indigne, quid me tam excellentem audes interrogare? tunc me examinare? 2. denuntiative sic: Frustra me in iudicio interrogas de qualitate mea & rerum mearum, quem aliquis curat capi, de eo debet iam ante captivitatem mandatam esse informatus. si ita non est factum, ordo iudicij non est servatus, sed passionibus occultis captus, & pretextus latentis dolo solum quæritur. Priore modo non credo D. meum locutum esse, quia mitis erat & humilis corde: posteriore ergo modo præsumo fuisse locutum.

Domine, admiror tuam generositate quæ ita pulchrè apparet, ut ideo te omnes præsentis debuisse admirari & venerari, imo advertere te valde præclare semper egisse, atque clarissimas vitæ tuæ habere rationes. Quoniam ad aliorum, etiam inimicorum, conscientiam, & iudicia ausus fuisti appellare. Da obsecro fidelibus tuis similem confidentiam, & ut hanc assèqui possint, da prius in vivendo similem providentiam. Amen.

§. 59. *Interroga eos qui audierunt quid locutus sum ipsis. v. 21.*

Exigebat sane iudicialis ordo, ut iudex antequam hominem accusatam de crimine vel comprehendat vel in carcerem conjiciat testes super impostis criminibus audierit, istud vero prætermittam fuerat, hinc Christus sicut dixi, in libertate spiritus respondit, nihil veritus hostes suos, sed docet Pontificem, quod sit præposterus ordo, dum eum prius comprehendit iusserint, quam super doctrina eius testes audierint, ut ergo interrogaret sero quotquot veller, de sua doctrina & vjta rogat, vel permittit, nihil de discipulis dicit nec accusat eorum infirmitatem nec excusat infidelitatem: quia Magister vel Doctor, aut Paterfamilias non debet reus fieri pro suis discipulis aut ministris, si ipse nihil mali eos docuerit aut imperarit. Sed quid Interrogas eum o Anna vel Caipha de doctrina quæ tot miraculis publicitus fuit confirmata? mille habet probationes à viris ac mulieribus, à cæcis & mutis, à primariis, & plebeis, à peritis & imperitis, ab ægris & leprosis denique & mortuis, hos omnes interrogare te deceret. Audires certè ab ipsiusmet hostibus, nunquam sic locutus est homo. Interroga Nicodemum & audies eum dicentem: *Verè à Deo venisti magister*: interroga Nathanaëlem etiam

etiam in lege peritum & audies: Rabbi, tu es filius Dei, tu es Rex Israel. Incento-
ga Centurionem, Zachæum, laicum Principem Synagogæ, Lazarum re-
fufcitatum & mille alios, audies omnes ei cum Petro dicentes. Dominus
verba vita eterna habet, ad quem melius ibimus?

Profecto nos Christiani possumus exultare & gloriari in Magistro no-
stro, qui tam gloriose omnia sua dicta & facta adornavit, ut caprus, in
manibus hostium positus & coram invidis iudicibus tam gloriose pro-
tuerit dare rationem vitæ & dictorum, quo nulla præstantior data fuit ab
homine ullo. Deus Omnipotens, rex Regum & Dominus Domini-
um qui per Moysen famulum tuum ad gubernandum populum tuum
præpositos constituisti, tibi supplices preces effundimus ut nobis tales re-
ctores constituas qui populum tuum regant in vero iudicio, te cetera iustitia,
pace & tranquillitate, fidei tuæ conservatione stabilias, infusione misericor-
diæ tuæ fulcias, commissa ipsis regni gubernacula diuturno moderamine
tenere concedas, ut omni perturbatione subacta liberis tibi membris
possint servire.

D. 60. Ecce hi sciunt quid dixerim ego. v. 11.

Viderat forte Iudam inum modo sectatorem Christi & connivam,
nunc Ducem impiæ manus æstantem in aula Pontificis, aliosque qui ipsam
sæpe sæpius concionantem audierant, & eius Prædicationes laudaverant,
hos digito quasi Pontifici monstravit & dixit. *Ecce hi sciunt quid docerim ego*
si mihi fidem non facis, crede saltem iis qui tibi adstant inimicis meis, hi
sciunt veraciter & per bene quid dixerim ego, quomodo laudaverim vitu-
turum opera, vitia reprehenderim sine furo, & dolo, sine exceptione per-
sonarum omnibus ad cor locutus sum, & veraciter, si modo me audire de
corde vero & sincero percipere verba mea, verba salutis & retinere, & se-
cundum illa vivere voluissent: Non enim ita timeo ac erubescio de doctri-
na mea, ut etiam Auditores maxime de hac audiri velim. adeo non timeo,
ut etiam ab adversariis tuta esse sciam quæ docui: Si autem malum est do-
cuisse, male agunt omnes legis interpretes: si vero male docui hoc ipsum
oportebat te, O Anna, non ex suspitione, & invidia iudicare, nec ex his, qui
ab alijs fando male aliquid intellexerunt, sed ex auditoribus ipsismet. Hac
est genuina via perveniendi ad cognitionem veri ubi simul & illud obli-
vandum est, quod non dicit Dominus, interroga discipulos meos, aut ami-
cos, sed generaliter appellat ad Auditores quasi dicet nullum ex illis
nullum timeo. Dummodo non eos interroges qui absentes fuerunt & ab-

quæ distorſe ab aliis acceperunt, & ipſimet adhuc magis ad affectus ſuos audita cornaverunt.

Domine Ieſu gratias ago tibi pro hoc pulcherrimo documento, quo inſtruis nos indiretè, ut ſi velimus candidè cognoscere veritatem & bene iudicare de dictis vel factis aliorum, tunc non debeamus per tertiam & quartam aurem & ora piſcari, hoc enim modo poſſunt mediæ perſonæ corrumpere dicta & facta alicuius optimi hominis, ſed quod debeamus eos examinare, qui immediate & perſonaliter viderunt vel auſerunt, niſi forte res aliqua tam procul abſit a nobis in tempore præterito, ut immediatos teſtes habere non poſſimus: tunc enim oportet examinare an qui mediate tradiderunt cum his qui immediate tradunt de re vetuſta conſentienter per omnia teſtentur. Hoc enim eſt ſignum veracitatis, quoniam improprie poſſibile eſt ut mendaces conſentienter loquantur.

§. 61. *Hæc autem cum dixiſſet, unus aſſiſtens miniſtrorum dedit alapam*
Ieſu. v. 22.

Licet tanta modestia & tanta prudentia ac humilitate & reverentia erga eum qui fuiſſet olim Pontifex locutus fuerit Chriſtus, uti iam expendimus, illa tamen reſponſio uni ſurcifero, & paraſito aulico non placuit, qui ſciens quomodo Principes Iudæorum in communi eſſent affecti, nodum in ſcipſo quaſi vitæ, & neſcio quid effeminatum, molle & adulatorium à Chriſto requirere voluit, v. g. ut diceret ſanctiſſime Præful, nobiliſſime &c. velit mihi eſſe propitiuſ & clemens. Si quo offendi veſtram Maieſtatem, ecce paratuſ ad emendandum adſto, vades dabo. Talia quædam phantaſmata videret iſte miniſter ſibi ex ſuo gento ſinxiſſe, & à Chriſto exegiſſe & cum illa Chriſtus non exhiberet, animo ſe nimis in Domini ſui locum aſcendiſſe imò ſupra eum ſe extuliſſe, & ira impudenter alapam Chriſto dediſſe, quaſi velleſ dicere: O tu ſervum caput, Chriſte, & tu leniſſe Anna, quouſque hæc parieris! ego utrumque volo docere, quomodo oporteat agere non verbo ſed facto.

Domine mirabiles ſunt in hoc mundo homines, & mirabilis genus eorum, uti vel uno iſto ſurcifero clare agnoſco. Eſt miniſter & Dominum ſuum prævolando humiliat; ſumit zelum pro Domino ſuo & eum confundit, ſententia nulla à Domino ſuo eſt prolata, & iam ille exequitur, hominem nihil ad ſe pertinentem in dōmo aliena verberat. Bene imò optime reſpondentem non ſolum ineniat ſed & lædit ſed quid ego hunc hominem ac uſo, hodie ita paſſim homines faciunt. Involant in capita Pontificum
Cardi-

Cardinalium, Episcoporum, Sacerdotum, Imperatoris, Regum, Principum, Magistratum omnis generis, censent, cribrant, damnant, paucillas vexant, certe hi fat graves alapas Domino dant.

§. 62. *Dicens: sic respondes Pontifici? v. 22.*

Non satis erat huic impudenti Ministro alapam in merito deesse, manu, etiam verba addit, quam animam Christi affligant, ut non solum corpus affligeretur, Sed quæto quid est vitij, miles, quod ista voce reprehendis, audio, sic? quid est sic? num iracunde, num peralante? num calumniose, num mendaciter, num imprudenter? nihil horum. Quid ergo? Cum nihil reprehendi poterit, satis est calumniari volentē dicere: *sic in agni sui ne loqueris?*

Absint obsecro ab amantissima schola tua, Domine incircumcisa & dura corda contra stimulum acutissimum amoris tui calcitrantia. Non cogit schola mansuetorum animos protervos, & contentiosos, qui oderunt delicatissimam concordiam filiorum tuorum. Homines pertinaces qui polerunt sicut adamantem faciem suam, & consueverunt repugnare mellidulciore misericordiis tuis non intrabunt in requiem scholæ tuæ. Ego igitur Domine nolo esse de schola eorum, qui, incircumcisis cordibus & auribus, spiritui tuo semper resistunt, & in peccatis suis moriuntur. Sed de schola parvulorum, qui contremiscunt ad sermones tuos & sine ulla contentione acquiescunt vivis sermonibus mei Domini & præceptoris, Imprimatur obsecro cordi meo docilitas filiorum tuorum Domine, ut quidquid docueris sine duritia suscipiam, & mitis audiam quid loquatur in me Dominus.

§. 63. *Respondit ei Iesus: si male locutus sum testimonium perhibe de malo. v. 23.*

Respondet suavissime & sapientissime Dominus ad iniuriam sibi illatam qui alias omnes cum silentio tolerabat, primo ne æstimetur Pontificem contempnisse hoc enim ei crimen à percussore objiciebatur. Et hanc notam ferre Dominus non debebat, qui potestatem Ecclesiasticam præsertim, semper honoratam volebat, nec decebat ut alicuius peccati reus putaretur, qui pro aliena culpa pati voluit. Respondit ergo, se non contempnisse aut contemnere Pontificem etiam degradatum, dando exempla fidelibus, ut non contemnerent sacerdotes, licet malos. 2. ad correctionem ministrum, qui privato & temerario ausu, nondum condemnatum, tam graviter cedere non erubuit in iudicio, ubi nihil ex privato odio cuiquam agere libe-

cet præsertim ministro. sic monuit Eccl. c. 19. *Corripi amicum ne forte non intellexerit & dicat, non feci, aut si fecerit, ne iterum addat facere.* 3. ut eo responso tangeret & instrueret Pontificem. Talem scilicet iustitiam & libidinem ministrorum in iudicio, præsertim ipso præsentem, non ferendam esse; servandam potius in iudiciis æquitatem nec puniendum quenquam priusquam convincatur. 4. ut hoc responso peccatum suum ostenderet animum, si enim nihil prorsus respondisset, perturbatum ex iniuria credidissent, & clanculum indignari. Nunc autem prudente & peccato responso aperuit animi sui tranquillitatem: quod iracundi facere non possunt ob perturbationem. submittit se hoc responso iuribus humanis, paratus emendari ab hominibus, si quid male dixisset.

CONSIDERA hoc homo ingratus, qui ne unum quidem rigidum verbum vispati, quia mox excrucias te ira, exprobras, iuras, blasphemias, non expectans donec Deus te vindicet, sed mox meditatis vindictam per verba & per facta, pœnitet te quod iniuriam non retuleris. gloriaris si vindicaris. Hic tamen vides Regem omnium, qui talem suscepit iniuriam, à tam vili homine, idque in loco publico, & in faciem illam sanctissimam etiam Angelis desiderabilem percussus patientiam servavit, reddidit doctrinam.

§. 64. *Si autem bene, quid me cædis? v. 23.*

Quid hac responsione æquius? mansuetius? iustius? olim Deo miraculum faciente conquesta est asina contra Balaam sessorem & iniquum percussorem suum. Num. 22. *Quid feci tibi? cur me percutis? idem nunc dicit Dei filius, qui alioquin dicere poterat: Descendat ignis de cælo, & devoret te cum tuis;* sed è contra dicere voluit non repercutio, non vindico me ipsum, sed moneo te ut respicias, ne peiora tibi à Deo contingant: cædis me quidem quæ reprehendere non potes: cædis me quem prius admirabaris: cædis me qui non fungeris officio Iudicis: nec à Iudice potestatem accepisti: cædis me qui nunquam te læsi. nihil igitur per hanc contumeliam efficis, quam quod te ipsum damnas.

ARGUITUR hic impatientia nostra, qui semper vindictæ cupidissimi etiam in minimis iniuriis illatis, nec recordamur scriptum esse Eccl. 10. & 28. *Via ad mortem sunt, eorum qui iniuria memores sunt, & iterum relinque proximo nocenti tibi & tunc deprecanti tibi peccata solventur.* Discamus tandem illatas iniurias patienter ferre, quando quidem non primi nec soli sumus quibus hoc contingit! Discamus itidem in adversis os compescere, nec contra Deum murmuremus. Sed solum in iustæ defensionis tutelam ora laxemus.

G

§. 65, Et

§. 65. Et misit eum Annas ligatum ad Caipham Pontificem. v. 23.

Postquam Annas curiosius interrogasset Dominum, de doctrina, de discipulis vel venenato animo ad decipiendum (si quomodo potuisset capere in verbo aliquo, vel facto) & nihil invenisset vitij in Christo, iniuria & alapa accepta coram se (de quo facto forsitan si malus fuit illi mali pertulit) vel certe visa Domini innocentia & iniusta alapa, & prudentissima defensione Domini, terrius misit eum ad Caipham, qui tum erat Sacerdotum Princeps, totius Iudaici populi pessima pars, utpote intrusus, ad cuius officium iure divino spectabat censere de fide, de hæreticis, de dogmatibus novis, ut is, tanquam astutior se, posset adversus Iesum aliquid mortis dignum invenire, utpote qui dixerat in concilio *expedit, ut vnus homo moriatur pro populo*. Vel certe ut se eo modo Annas ex periculoso illo negotio & odiorum pleno extricaret, Deus novit. Sed quid est quod dicitur ligatum misisse? an ligatus non erat in horto, & sic per viam ductus? Vtique an forte coram Anna ligamenta erant soluta? ita suspicor. & sic iterum est innotatus, cum ad aliud tribunal est ablegatus.

Sequere nunc, ô anima mea, sponsum tuum: qui ut te sibi sponsam desponderet, omnem hunc laborem & cruciatum perpeffus est, neque enim diu tecum permansurus est. En traditur iam in manus hostium suorum crudelium, & sanguinem eius siccantium Iudæorum, qui non cessabunt, donec eum crucis patibulo affigant. Hoc ultimum est instans vitæ, Domini Iesu civilis inter homines & liberæ: deinceps enim Iesus ut civiliter mortuus sub potestate tenebrarum erit. O Iesu captivas, sis mea libertas simul & captivatio sub potenti manu tua.

§. 66. Erat autem Simon Petrus stans & calefaciens se. v. 25.

Secutus erat Iesum Petrus ex aula Annæ ad aulam Pontificis Caiphæ: ut videre posset finem de Iesu, in ea vidit focum illuminatum, accessit ad eum stans timore plenus, ne & ipse caperetur, & à longe calefaciens se quia frigus erat naturaliter, & iam ipse algebat affectu, & ideo magis timebat & algebat conscientia læsa, nec audebat ignem terrenum tuto accedere, qui iam ignem cœlestem Deum suum, quem totus totaliter amare debebat, aliquantulum negarat; Hæc igitur fuit nova Petri tentatio, multo tamen maior & gravior priore, iam enim non ab inermi muliere sed à viris & militis & armatis, deniq; Pontificum servis tentabatur & proinde mirum non est, si peiorem quoque exitum habuit, quem prima.

Ego

EGo videns Petrum stantem & calefacientem se ad ignem illum infelicem, dico meliori igni cum Ecclesia *Veni sancte spiritus reple tuorum corda fidelium, & tui amoris in eis ignem accende qui per diversitatem linguarum cunctarum gentes in unitate fidei congregasti.*

§. 67. *Dixerunt ergo ei. v. 25.*

Milites cum ministris Principum circumstantes focum & Petrum considerantes habitu modestiore indutum, vultu ad terram deiecto, manibus plicatis infra brachia, pallidum & pene trementi similem præ angustia pectoris, cogitantes apud semetiplos, & colloquentes, *hic vir extraneus est, vir, ut apparet, anxius mente, interrogemus eum cuius sit, quid habeat anxietatis: fors inveniemus eum esse unum ex discipulis Christi captivi, & simul cum Magistro apprehendemus eum & trademus Pontificibus, & Sacerdotibus nostris, eadem enim pœna qua magister eius dignus erit, qui cum eo contraxit Principibus, & Senioribus nostris!* Hæc dæmone suggerente & instigante servos, ut Petrum interrogarent: ipsum Petrum quoque variè dæmon exagitavit cogitationibus, & tentavit, ut omnino à Iesu deficeret, iuxta verbum Iesu; *Ecce Sathanas expetivit vos, ut cribretis sicut triticum:* huius autem tentationis permissio fuit potestas tenebrarum.

O Pater omnipotens & clementissime licet nos è regno Sathanæ in regnum dilectissimi filij tui transtuleris, nequaquam tamen ab hostium impugnatione liberi evasimus. Hinc enim caro nos sollicitat, illinc mundus adblanditur, à fronte pariter & à tergo hostis impugnat potentissimus diabolus. Conantur nos omnes, ut abs te patre nostro desciscamus, impellere: at nos imbecillitatis nostræ non immemores ad te Deum, qui refugium nostrum es & virtus, confugimus, te etiam atque etiam obnixius deprecantes, ut in tam variis ac infestis tentationum insultibus, tu nobis robur, & animum addas, ne his succumbamus ac superemur: sed ut diaboli insultus, tuo adiuti præsidio, fortiter repellamus. Mundum & eius satellitiam, divitias, honores, & pompas contemnimus. Carnem vero nostram coercemus, domemus, & spiritui subjiciamus, ut ita demum, tanquam invicti milites abs te in regno tuo cœlesti, in illa æterna beatorum patria coronari mereamur.

§. 68. *Nunquid & tu ex discipulis eius es? v. 25.*

Contemplati virum simplicem & rectum, interrogare cœperunt eum petulantes scurræ, prout fieri solet, inter similes aulae famulos, ut acquirere ansam terendi tempus, iocando cum Petri simplicitate, & probitate;

62

bitate;

bitate; an for: esset de numero illorum quorum Ducem coeperant iam in horto, & tradidissent Principibus suis? nec aetum esse fortuito dixerim, sed ita placuisse divina dispensationi, quo magis retunderetur Petri confidentia nimia in semetipso, qui prius tam magnifice pollicitus Domino se vel in mortem cum illo iturum. Quare autem Christus permiserit Petrum cadere, ut tertio eum negaret: quatuor solent dari causæ. 1. quidem ad nostram instructionem ut scilicet nullus amodo præsumat de propria iustitia & virtute, etiam quantumcumque videatur cum videt talem ac tantum virum sic cecidisse. 2. ut nullus quantumcumque malus aut peccator desperet de venia. 3. animadvertens quod Petrus post tantum flagitium sit à Christo factus lanitor, & claviger regni cælorum atque caput & Princeps fratrum suorum. 4. ut sciret postquam esset alijs Prælati compati cæteris peccantibus. Ad utilitatem ipsiusmet Petri quamvis per accidens, ut scilicet humilior, atque cautior resurgeret, qui prius in caute & arroganter Christo promiserat dicens: *Etsi omnes scandalizati fuerint, sed non ego: Merito ergo dicere poterit Petrus post ruinam illud psalmi priusquam humiliarer ego deliqui, & hoc est quod loquitur Augustinus: Audeo, inquit, dicere superbis esse utile cadere in aliquid apertum manifestumque peccatum, unde sibi displiceant, qui iam sibi placendo occiderant. Salubrius enim sibi Petrus displicuit, quando sterneretur, quam sibi placuit quando præsumpsit.*

Domine Deus meus laudare te desidero, quod tam clemens prius & misericors sis erga peccatorum conversionem, qui non velis mortem eorum, sed pœnitentiam: Aperi os meum in laude tua, ut cantem gloriam nomini tuo. Excita cor meum in te, repelle omne tædium, infunde gratiam, accende amorem, aufer iniquitatem & peccandi occasionem, munda me ab omni inquinamento carnis, ac spiritus, ut dignus efficiar in tui nominis honorem labia mea aperire, sed tuam abyssalem maiestatis dignitatem, quis digne laudare poterit & ei dignas referre gratias, pro tanta in peccatores gratia & misericordia? Ecce omnes virtutes cælorum atque universæ potestates Angelicæ, non sufficiunt tuæ celsitudinis magnitudinem condigne laudare: quanto minus homo fragilis, putredo & vermis deficit enim omnis creatura, omnis oratio, omnis lingua & fermocinatio. Quid igitur? Cessabo à laude? quia te digne nequeo laudare. aut ideo tacebo, quia immundum & insufficientem me esse cognosco? Absit à me ingratitude ista, ut cessem laudare te, quem laudare deberem omni creatura ad-

IN VADIC.

§ 69. *Negavit ille & dixit: non sum. v. 25.*

Ecce humanam fragilitatem ad verbum hominis terretur homo, terretur Apostolus, terretur Ecclesie futurus caput Princeps, qui paulo antea, tam fortis videbatur, ut ad mortem paratus fuerit ire cum Domino suo causam huius negationis ex parte Petri iam pridem & sæpe dixi fuisse nimiam de seipso fiduciam, quam haud obscure iudicavit cum dixit: *estis omnes scandalizati fuerint in te ego nunquam scandalizabor*, & Christo illi prædicente *non cantabit gallus donec ter abneges nosse me*, ipse subiunxit, *Et si oportuerit me mori tecum, non te negabo.*

O Petre, si tu istis verbis addidisses hanc vocem: *per tuam, Domine, gratiam, conforta me obsecro ad hoc quod proposui adimplendum*, forte feliciter successisset tibi tua promissio. nunc autem omitte hanc, videris de flexisse ad Pelagianismum, in quem omnes homines libenter suapte natura prorunt. quia malunt sua industria & vi vincere & sapere & magna agere, quam alienis. O Deus averte a nobis tam periculosum errorem, & assectum.

§ 70. *Dicit ei unus ex servis Pontificis, cognatus eius cui abscidit auriculam: non ego te vidi in horto cum illo. v. 26.*

Iam recurrit maius periculum, quia hætenus remotè & quasi de longinquo oppugnatus est Petrus. nunc arctius circumvallatur, oculatus enim testis prodit, sic fere loquens: *Quid vis nobis imponere? quid mentiri?*

O Petre nonne tu ipse es, qui cognati mei Malchi abscidisti aurem in horto dexteram? Petrus totus expavescit, quid ageret, quid diceret, circumvallatus militibus & clausus inter angustias, miserabiliter elegit mendacis uti cæperat transigere, & sese illis uti clypeo salvare.

§ 71. *Iterum ergo negavit Petrus. v. 27.*

Iam dixi quo confugerit Petrus positus in ancipiti confessionis & inde securæ, uti opinabatur, suæ confusionis, & contusionis, nempe ad mendacium; illo tamen se perdidit, animam occidit, Christum amisit, ministros aulæ Pontificiæ non lucrifecit, ex aula cito vacuus abcessit, imo pro ministris ratione utentibus, tortorem gallum gallinaceum accepit. Hoc tamen unum impetravit, nempe quod ad tempus breve in aula pseudo-Pontificis perduravit, donec Christus ibi condemnatus fuit, & Pontifice excidente iure Pontificatus per lacerationem vestis suæ, fragmenta & aus aulæ huius ad se præsens traxit, in quo casu et si mendacis egit, aliquid
tamen

tamen acquisivit, vacantem de iure curiam mentiendo occupavit, quam postea melius magister abnegatus, sed recognitus & dilectus donavit dicendo pasce, pasce pasce. Ioan. 21.

O Filij hominum, non possum negare, quod sæpe aliquem temporalem fructum speratis ex falsitate, & etiam aliquando impetratis. Verum tamen est, iste tam exilis est, comparatione utilitatis, quam ex veritate, quæ Christus est, sperare poteratis, quam exilis est domus Caiphæ corruptibilis, comparatione impetii facti, quod Petrus in totum mundum à Christo postea accepit. Ponite ergo hoc in cordibus vestris, nolite obsecro diligere vanitatem, nolite querere vel observare mendacium, nihil illud vobis misere apparenter prodest. ex Petro discite quid melius queratis & teneatis.

§. 72. Et statim Gallus cantavit. v. 27.

Mira Dei bonitas & providentia. Providentia, quod negationis futuræ tempus tam accurate præscivit & prædixit concursurum cum casu illi cantu galli; bonitas, quod peccantem Petrum tam accurate servavit, non quidem ne nihil peccaret, sed ut non perseveraret & inlorderet. necesse erat Petrum venire ad Aulam utramque Pontificis, ut legitime deponendis succederet, & tamen aliter quam illi tenuerant succederet, nempe in spiritu & veritate, & virtute. & quomodo in virtute succederet Petrus sine humilitate, quæ est basis omnium virtutum. Ecce Dominus usus est malitia ancillarum & ministrorum aula Pontificiæ veteris, & in ipsa aula utraque altissimum Petro fodit fundamentum, cui tanta moles superimponi posset, quæ de novo consurgeret ad cælum.

Gratias ago tibi Domine Iesu pro universis beneficiis tuis S. Petro collatis, quia ista non solum ipsius personæ deputasti, sed toti Ecclesiæ Catholicæ seu Romanæ, cuius fides & olim & nunc & porro annuntiat in universo mundo, nam dum mors Domini per Liturgiam seu Missam paulo solennius annuntiat, fidei symbolum cantando, etiam fides illius Ecclesiæ annuntiat.

§. 73. Adducunt ergo Iesum à Caipha in pratorium. v. 28.

Hactenus ex cænaculo seu monte Sion itum est in Hortum Olivæ, per 1500. passus, & æque magno fere intervallo, relictum est iter istud adque in domum Annæ, & ab ea ad ædes Caiphæ 330. passibus. ex his porro ad pratorium Pilati passibus mille proceditur, & postea porro ad Herodis Regiam per 350. passus ibitur & totidem redibitur. Denique ex Pratorio ad locum supplicij proceditur 1321. passu.

Prato-
Habet

Habes igitur Christiane I. Christi Domini pro se multam fatigationem, præter Passionem reliquam, cum 6331. passibus quos itarit, & quomodo isthoc itare actum sit facile æstimabis si circumstantias spectaveris assecclatum satellitumque. 2. Habes & bene fundatas Catholicorum in novo Testamento Processiones, nisi enim Passionem Domini abneges, Processiones sacras certe tollere tibi nefaserit. 3. Habes etiam æque bene fundatas stationes in horto, in Annæ, Caiphæ, Pilati & Herodis curijs. Pro omnibus hisce Domino Deo tuo semper gratus esse labora, noli horrere aliquam duriorẽ genuflexionem, noli horrere in docendo, catechizando, concionando, confessionibus audiendis nauseam & laborem. noli tædium habere in Processionibus sacris, etsi non omnia ex tuo gustu administrantur. Nõ caruit Christi Processio incommodis & quidem grandibus nimis. Denique non sint tibi viles Catholicorum stationes. abneget eas hæreticus: sit os memorialium Christi, tu cum Christo & pro ipso esse, ire, & stare labora, non ipse vel illius iudicium prima religionis est regula, sed Christi vita & passio, hanc attende. Petrum & Ioannem & Mariam attende, isti processerunt, isti stationes cum Domino observarunt.

Sed quid hoc est, quod S. Ioannes ita abrupte à negatione Petri ad prætorium Pilati abit: & quid in domo Caiphæ geratur vel gestum sit non attendit, neque nos attentos reddit? intentionem sane huius saltus nescio, rimari tamen licet. An forte quia alii Evangelistæ iam satis hoc scripserant, ut nisi addi opus videretur? An forte quia Caiphæ illegitimus erat Pontifex, idco illegitime acta pro nullis habuit? An forte tam terra illa fuerunt, ut memoriæ oculos ad ea occludendos insinuare voluerit? Sint sane omnia hæc una integralis causa cur S. Ioannes ita fecerit, non habeo certe quod opponam. acquiesco & Domino pro cunctis mirabilibus & mysterijs gratias ago.

CONTINUATIO

Passionis Domini

SECUNDUM JOANNEM.

§. 74. *Erat autem mane. v. 28.*

Quid igitur de nocte actum? ane quievit & dormivit? non sane. Sed iudicia iniqua iudices iniqui fecerunt in eum, & qui hæc facere noluerunt à Concilio illo se subdixerunt in tempore, Porro noctis huius acci
bi

bitas tanta fuit ut mihi videatur S, Ioannes sine cordis sui convulsione vel examinatione eam scribere non potuisse & ideo cordi suo indulgisse ut eam silentio transiliret. Ecce anima mea velut è profundo somno evigilans hæc tecum reputa, dicens, Ergone ea peccata, qua tam facile & leviter admisi, tanto stare debuerunt Domino meo? Ergone tam gravis me manebit poena? bene laudebam in plateis impia Babylonis, (lusum peccatorum) & in secreto regalis cubiculi ferebatur, contra me iudiciū mortis, audijt unigenitus filius Dei & continuo posito diademate nudus pedes aspersus cinere caput, abiit flens & eiulans eo quod morte damnatus esset servulus vilis & abiectus: Quid faciam adhucne ludam? & delulam lacrymas eruit adhucne cum perfida istudais illum meis peccatis divexabo & ad mortem expetam: adhuc cum illis perseverabo adhucne ludam & delulam eius sanguinem? absit, sed dicam prostratus in faciem meam coram te cum Pharisæo penitente.

Domine Iesu Christe qui in hunc mundum propter nos peccatores de sinu patris advenisti, ut de Adæ peccato nos redimeres, quia scio & credo te non propter iustos, sed propter peccatores in terra habitasse. Exaudi me Deus meus peccatorem culpabilem & indignum & negligentem & obnoxium. Tibi confiteor omnia peccata mea & omnia mala mea & quidquid in hoc sæculo deliqui de factis de iniquis cogitationibus de omnibus malis meis veniam peto. Erravi fateor indulge quia pius es Christe, te laudo te magnifico, te glorifico Trinitas sancta, tibi gratias ago in omnibus infirmitatibus meis, quia non habeo in alium spem nisi in te Deus meus.

S. 75. Et ipsi non introierunt in pretorium, v. 28.

Propter Festum Paschæ quod imminebat solemnissimum & dies azymorum, quibus sicut non comdebant panem fermentatum ludæi, sed azymum, ita sibi quoque putabant non liceret intrare domos alienigenarum. Magnum puritatis studium. Si modo etiam cordis & conscientie puritas pariformiter fuisset dilecta. At malum facere, impie examinare, falsa testimonia super innocente inducere, eaque propter iniuste innoxium condemnare, & de republica optime meritum divexare, non ducebant religioni? Cur hoc? quia oderant Iesum verum agnum Paschalem & ipsi manere volebant in figuris eius & non venire ad veritatem: ideo eum ante Festum Paschatis morti adiudicatum volebant & extinctum, ut pro more suo in figuris manere & in umbra levi, celebrare suum Pascha possent. Sed apage hoc figuristarum & hypocritarum genus. Quod utinam non etiam inter Christianos sæpe abundet. Ecce enim ibi quoque sume tales

tales. Primo Hæretici hi enim uti Anabaptistæ intrare in templum Catho-
licorum manu hominum factum reformidant, sed bene ex templis facere
equilla & tunc intrare, iidem iurare veritatem non audent, sed bene men-
titi & alij multi hæretici, ita sunt in oculis hominum iusti, ut obolum et-
iam non detrahant in contraetum, at tamen integra templa, monasteria, col-
legia, vrbes & Provincias bene audent Catholicis eripere. Calicem cola-
tores, camelorum glutiores, quantum studij in Regum custodia simula-
runt se ponere Puritani Britanniarum! quomodo majestatem regalem
sanciverunt Decretis synodalibus caput Ecclesiæ etiam constituendo, &
hoc negantes occidendo, secando, strangulando, sed serione? nequaquam,
ipsi sciunt & coram mundo notificarunt, quam simulate omnia illa fue-
rint sancita. Aliquam hic etiam querelam non ego sed Dominus potest
movere contra quosdam Catholicos Christianos, qui in externa quadam
observantia pietatis religiosæ sese ita tenent & gerunt, ut corticem aspi-
ciens pene sanctos crederes, sed si introspicias invidiam odiaque fovent &
alia multa vitia, quod de foris est calicis videntur emundare, quod intus ve-
neno & abominatione implere.

Sanctifica eos, ô Pater, in veritate & non in observantia solum, exteriori:
fuga à filiis tuis omnem hypocrisim & simulationem, ut serviant tibi inte-
gro & mundo corde ac epulentur coram te in azymis sinceritatis & veri-
tatis.

§. 76. Ne contaminarentur. v. 28.

Ridiculus sane prætextus, verum tamen à genio humano non alienus
in præsenrem diem, & quod est miserimum non agnoscitur ab his qui eius-
modi larvas sibi concinnant. Ecce hi Pontifices, Seniores & scribæ præto-
rij ianuam tanquam maculam fugiunt, & hominibus incircumcisis misce-
ri non patiuntur: lapidibus & hominum corporibus inquinari se credi-
derunt, iniuria vero interficere hominem sanctum nihil pensi putaverunt.
Humana constitutio erat, ne Iudæus domum incircumcisi intraret ut ab
immundo & incircumciso non contaminaretur? Lex autem divina erat
Non occides, non invideto, non falsum testimonium dicito, & hanc legem Dei con-
temnebant Iudæi, servata hominum constitutione,

Quid hic, ô videntes, dicemus? vel faciemus? Nescio aliud quam quod
Christus fecit cum cæcitatem Phariseorum aspexit, indignatus est su-
per ea, & virtus Domini erat ad sanandum eos, sit in illis, qui ista vident
virtus ad sanandum taliter cæcos, oremus, ieiunemus, instruamus, & illu-
minemus.

¶

§. 77.

§. 77. Sed ut mandarent Pascha.

Sed & illud multo magis ridiculum erat, quod ut agnum comederent (qui nihil aliud quam Christi mysterium figurabat) cavent ne inquinentur, in ipsam veritatem insaniunt. Iure igitur modo dealbata sepulchra & exterius vili quodam artificio decorata, intus autem sordibus plena eos Christus appellabat: nam cum exacte minima quærerent, peccatorum maxima non videbant, & calicem atque parosidem exterius lavabant, de interioribus nihil omnino curabant, ideo Hieremias bene dicebat: *Lava cor tuum à malignantate Hierusalem ut salveris.*

Contemplare, oblecto Christiane, vere cauteriatam tum Pontificum tum populi Seniorum conscientiam, valde timentium vel prætorij introitu vel hominis Ethnici congressu contaminari, & interim pro nihiloducentium atroci odio in Christum innocentem debacchari? quid tali religione præposterum magis? quidve ab omni sanctitate magis alienum? si locum intrando sordidum vel hominem Ethnicum conveniendo homines contaminantur? nonne multo magis contaminari credendum est ex pravis cogitationibus quæ hominem reddunt re ipsa impurum.

§. 78. Exiit ergo Pilatus ad eos. v. 29.

Sapientior & æquior hic Pilatus quam Iudæi, homo prophanus quam Sacerdotes, poterat is dicere: si vos Iudæi subditi mei, non vultis intrare ad me, ut non contaminemini à me & meis rebus, ego quoque dedignor venire ad vos ne inquiner à vobis. Sed uti dixi magis sapuit, passione passionem non oppugnavit, generose contumaciam superavit, transiit, imo vicicit, quis enim non hodie dum amat Pilatum, odit Iudæos, donec per hos seductus defecit? O pulchrum exemplum! ò factum apprimè observandum! ostendens, ut non semper summo iure à subditis omnia exigamus, quæ forsitan exigere possent, sed non nihil aliquando remittatur, ut mutuum cum timore iudiciali, amorem servent. Et fateor quidem nihil iniquitatis esse in populo Dei tolerandum, maxime cum reipublicæ dispendio: ac tamen moderati Magistratus & vere prudentis officium est non omnia ad unguem rimari, sed non nihil iuxta temporis varietatem remittere: Ita esse faciendum Regi Roboam consuluerunt seniores populi dicentes: si hodie populo lenia loquutus fueris verba, ipse cunctis diebus tibi serviet. Quare Paulus ait nolite fratres ad iracundiam provocare filios vestros: Ecce & hic discretionem Iudicis & Præsidis Hierosolymitani, & prudentiam politicam, qua cedit Pilatus parumper Iudæis, ut veritatem indagaret de subdito captivo, ne iniuriam faciat.

Aequis

At quis potest Domine tempestuosum hoc mare à profunditatis altitudi-
nisque periculosis extremis navigare securus, nisi navem ipse sanctæ dis-
cretionis dirigas gubernaculo? Hæc enim discretio, est illud sal quod om-
nibus sacrificijs adhiberi voluisti, hæc mensura omniumque regula vir-
tutum, hæc actionum bonarum perpendiculum hæc initium, medium, fi-
nisque omnium eorum quæ grata sunt tibi, sine qua vitium est, quod virtu-
tis specie legitur, & oculis tuis abominabile quod apud homines alicuius
est pretij.

DA igitur mihi Deus meus thesaurum hunc & magistrum & Ducem o-
mnium virtutum & fac me imprimis cognoscere & æstimare quod in-
ter te Creatorem meum & reliquas creaturas interfit. Deinde ne in meis
actionibus mihi, sed aliorum potius virorum consilio præcipue spiritua-
lium, prudentiumque deferam, & ut ipsi lapsus qui mihi contingunt, in-
terdum experimento mihi sint & admonitioni, ut in posterum caveam di-
ligentius. amen.

9. 79. Et dixit: quam accusationem affertis adversus hominem hunc. v. 29.

Pilatus exiens foras traditi sibi hominis crimina scrutaturus peti-
t quam accusationem ferrent adversus hunc hominem? qua dignus morte
esset, ut & ipse si vera esset accusatio verum iudicium & sententiam dare
posset, & ipsorum satisfacere petitioni. Quia apud Romanum tribunal, o-
puserat testibus, qui multa & magnum crimen intenderent ei, qui suppli-
cio crucis esset tollendus. Videte Christiani Iudices, quid gentilis hic fa-
ciat, accusationem audire voluit, si iusta esset, & digna morte, priusquam
Christum ad petitionem & simplicem accusationem Prineipum Iudæo-
rum condemnaret. Et tamen isti accusatores erant tam multi uti civitas &
tam potenti autoritate, ut quasi sacrosancti passim haberentur, ut proba-
biliter ad eorum verbum vel postulationem potuisset Dominum cruci ad-
dicere. Sed id Deus non permisit fieri, ut tanto illustrior Salvatoris nostri
virtus & vitia Dæmonum & ministrorum eius apparerent.

Disce Christiane temere non iudicare nec quempiam condemnare non
audita causa & accusati defensione. fexit Deus ut Iudices. 1. non ad
gratiam vel parentum vel amicorum iudicent: vel vi pecuniarum aut pro-
missionum. 2. non etiam nisi audita altera parte pronuntient aut exe-
quantur sententiam; laudatur hoc nomine curia Coloniensis, in qua audio
scriptum esse audiat & pars altera. Itaque ne quid contra naturam, ne
quid turpe atque indecorum sentiamus, duo hæc, nempe tempus & dili-
gentiam

gentiam ad considerationem rerum conferre debemus. nihil est enim magis, quo homo ceteris animantibus præstet quam quod rationis beneficio & ornamento, quo causas rerum requirit, generis sui auctorem investigandum advertit, & agnoscit, in cuius potestate vitæ, necisque nostræ potestas sit, quique mundum omnem suo nutu regat, ei rationem esse reddendam nostrorum actuum:

CRedamus ergo Iudicem futurum quem & occulta non fallant, & indecora offendant, & honesta delecent. Illi dicamus perface Dominus gressus meos in lemitis tuis ut non moneantur inde vestigia mea. Quia in his delectatus sum, vel saltem delectari cupio.

§. 80. *Responderunt & dixerunt ei. v. 20.*

Indignabundi quod peteret ab eis Pilatus causam mortis & expositionem criminum, superbe suam prætendentes autoritatem & religionem, volentes per hæc iudicariam opprimere inquisitionem, quasi sufficiente ei deberet autoritas hæc adversariorum atque religio.

ODolosi & impii, scitis vos in accusationibus iustis ac probationibus deficere, & etiam nequam prætextum paratis! quid cogitatis? Fortasse illud Ambrosij *Evidentia patrati criminis non indiget clamore accusatoris*, itaque ut sceleratissimum malefactorem publice notum, voluerunt infamare illum de quo tamen sciunt quod pertransijt benefaciendo omnibus, Christus interim totus confusus & inops, victus & sanguine & sputis impiorum conspersus, dimissis oculis stabat ante Pilatum suæ innocentie adhuc defensorem, & tacendo orasse opinor, recogitantem peccata nostra pro quibus hanc iniuriam patiebatur. Attende igitur anima mea & vide, si est amor sicut amor Domini tui, Ecce cum audire deberet quid proferret Iudex, quid accusatores dicerent de te, propter te, ipse orat pro te, ut non memorentur tua delicta, ut in te exciteretur virtus, ut non perdaris, sed salveris per ipsum. Deus meus est hic & ego confitebor illi & laudabo eum in æternum & ultra.

§. 81. *Si non esset hic malefactor, non tibi tradissemus eum. v. 30.*

Audisne grassantem iniquitatem? Christiane. Audio, & quidem iniquitate videntur Principes Iudæorum sibi competere adhuc jurisdictionem & ius decernendæ mortis, solam executionem capitalis sententia sibi deesse ablatam per Cæsarem, quando Archelai regnum in Provinciam redegit & Procuratorem dedit. In hoc homine Christus se fideos efficiendos dicit, cum pro meritis malis in rem publicam, adhuc ante festum solennis

Pulchra.

Paschatis tollendū ne omnes post eum current & sequerentur maxime extranei, quorū pars maxima erant tunc in Hierusalem. Vnde facile tumultus oriri posset, & ipse cum suis opprimere eos qui secum non sentirent. Ita loquebantur hypocritæ in arte sua magistri, sed non proceffit eis dolus iste, uti videbimus in decursu, sed larva sua est eis patenter detracta per sapientiam Dei:

Ⓞ Dio habeam ὁ Deus meus iniquitatem & diligam te toto ex corde, ut mihi bene sit propter te: & licet nos è regno Sathanz in regnum dilectissimi filij tui transtuleris, nequaquam tamen ab hostium impugnatione liberi evasimus, Hinc enim caro nos sollicitat, illinc mundus adblanditur, à fronte patiter & à tergo hostis impugnat nos potētissimus Diabolus. Conantur nos omnes separare à te Patre nostro vero & vivo, at nos imbecillitatis nostræ non immemores ad te Deum qui perfugium nostrum es, & virtus, confugimus, te etiam atque etiam obnixius deprecantes, ut in tam varijs ac infestis tentationum insulcibus, tu nobis robur & animum addas, ne his succumbamus ac superemur: sed tū Diaboli insultus tuo adfati presidio, fortiter repellamus, mundum & eius satellitium, divitias, honores, & pompas contempnamus. Carnem vero nostram cōtēceamus, domemus & spiritui subjiciamus, ut ita demum tanquam invicti milites, non ut Iudei, in æterna damnatione cruciari, sed abs te in regno tuo cœlesti, in illa æterna beatitudine coronari mereamur, Amen.

§. 32. Dixit ergo eis Pilatus: Accipite eum vos. v. 31.

Mente revolvens tantam tamque gravem iniustitiam Principum Iudeorum ac Sacerdotum, malitiamque in hoc quod Christum volebant non examinatum, nec convictum occidi, contra juris regulam, atque ad solam instantiam suam & petitionem, revera ingentem arguo invidiam eorum contra Christum conceptam in cordibus eorum, Sed adhuc maior pestilentiorque rabies elucebit, cum quæ sunt secuta intelligemus, quia non solum mortem illi irrogari voluerunt, sed pessimum omnium suppliciorum genus, & huius finem mortem sempiternam & probrum. Sed quid est hoc? accipite eum vos Iudæi: Christum offerunt Pilato. Pilatus eum vicissim offert Iudæis! Revera agnosco Christum esse oblationem, obtulit eum Deus Pater hominibus, rursus homines eum sibi vicissim offerunt. Denique & seipsum obtulit, & homines eum Deo Patri offerunt in Liturgia seu Missa optimo modo.

Ⓞ Fatui Iudæi, qui talem thesaurum, emptum saltem 30 argenteis, nullo pretio & graus offertis Pilato. & ille, uti gallus gallinaceus apud Æsopum

pam, eundem offert vobis, utinam ad Patrem suum cœlestem eum deseratis, vel ad matrem. Hi norunt pretium eius. Certe plusquam totum mundum pro eo acciperetis. O insipientes negotiatores.

§. 83. *Et secundum legem vestram iudicate. v. 31.*

Pilate, quid dicis? nescio an intelligas quod dicis: nam si hoc verè dicere, in scriptura vel lege vestra de eo scriptum est sic igitur agite cum eo, si scriptum est. Tunc sane valde, subtiliter loqueris. Sed iste sermo non potest probari, cum in lege Iudæorum multa de Christo scripta sint futura de eo quæ iniqua sunt. Sed forte nomine legis non intelligis totam scripturam eorum, sed dictamina agendorum & omitendorum secundum iustitiam si igitur sic verbum tuum debet capi, bene quidem loqueris, sed alie difficultates oriuntur, quia Iudæi nolunt ex iustitia cum eo procedi. Pilate miseret me tui & tui similibus. Verè potentes in magnis versantur periculis ut video ex hoc solo, quod nunc audio, verbo tuo.

GRATIAS ago tibi Domine Iesu, quod non sum unus ex potestatibus huius sæculi, sed in minore gradu Ecclesiastico constitutus possim vacare à tanto periculo, vel periculorum retibus. Sed & oro cum Ecclesia tua te Omnipotens sempiternæ Deus cuius spiritu totum corpus Ecclesiæ sanctificatur & regitur, exaudi nos pro universis Ordinibus supplicantes ut gratiæ tuæ munere ab omnibus tibi gradibus fideliter serviamus, maxime qui tua miseratione susceperunt regnorum gubernacula, & iustitiæ administrationem ut quæ recta sunt videant, & iudicio iusto pronuntient.

§. 84. *Dixerunt ergo ei Iudæi: Nobis non licet interficere quemquam. v. 31.*

Quod alias sæpe contingere solet, ut, cum agitur de aliquo reo iudicando, disputetur de iurisdictione eorum, qui iudicandi potestatem sibi competere præsumunt. Idem nunc evenit in iudicio, de Christo, instituendo. Verum tamen longe alio modo, quam alias fieri solet. 1. quia Iudices hic iudicandum à se rejiciunt & abdicant, alias singuli ad suum tribunal reo strahere solent. 2. Nilominus Christus non liberatur, sed nova forma quadam iudicij mixti vexatur, nam Pontifices volunt examen rei & sententiam mortis sibi relinqui, Pilatus sine cognitione debet discutere qualitatem supplicij, omnium quod potest esse pessimi. Ista profecto est valde nova forma iudicij, in quam harrentem Pilatum ut præcipitent Iudæi dicunt. Tuum est esse Carnificem nostrum, nos iudicare. Cum iam iudicaverimus illum, esse omnium hominum deterrimum, cu

etiam esse afficiendum deterrimo supplicio. Nos enim non sumus potentes talis supplicij, cum nostra lege à tali supplicio inferendo per nos ipsos prohibeamur, qui sane dudum ei intulissimus, si non nostra lege veratenur.

Vide hęc anima mea, in qualia præcipitia sese homines inducant, quando se passionibus livoris & malevolentiaę permitunt: quando suum interesse indiscrete querunt: quando respectuum ventis se permittunt agitari. O Dens salva me ex tali turbine & tempestate.

§. 85. *Vt sermo Iesu impletur quem dixit significans quā morte esset moriturus. v. 32.*

Antediçtam pugnam Iudicum de Christo, quæ à merâ libertate arbitrij Iudicum pendeat, & molitiones inde pendentes & secutas, quia Dominus noster tam acute prævidit, certè valde futurorum omnium sese gnarum ostendit. Hinc est enim quod sæpe sapius prædixerat, quod à Iudæis tradendus esset gentibus ad crucifigendum, Sed in hac traditione iniqua Deus magnum Gentibus procuravit bonum; quia rennuntiante Messia suo Iudæo & ut eum occidant gentiles quam citissime postulante, magnus thesaurus Gentilibus est obrutus, cuius morte & sanguine redimantur, nam hi sacco consciderunt, ex quo thesauri sæculorum effluerunt.

Quesu tradite in manus gentium, & iudicium Pilati gentilis, video quod quicquid mali cogitent & faciant homines, tu temper inde noveris elicere bona. Da obsecro gratiam; ut adversa discam ea ratione tolerare, quod ex illis bonum semper exiteat tua gratia.

§. 86. *Introivit ergo iterum Pilatus in pratorium & vocavit Iesum. v. 33.*

Nomine Caesaris magistratum gerebat Pilatus, & Iudæorum natio Messiam suum iam tradiderat sibi ad crucifigendum, & iam præiudicium damnationis erat de eo factum in concilio Principum & Scribarum, apud quosquibet levis prætextus sufficiebat contra eum, ut occupati magna vesania mortem innocentis sitirent. Cum igitur Pilatus causam mortis specialem aliquam intelligere non posset ex Iudæis, quod Iudicem decet, introivit iterum in Pratorium & vocavit Iesum, proponens omnia exquisitiorum amoto strepitu Iudæorum, quatenus sibi re velaret aliquam causam suæ captivitatis & reatus.

Q Pilate, bene fecisti, quod cum accusatores Domini videbas insanite, & formam iusti iudicij omnem corrumpere, novam introducere, & te incam.

in eam cogere, tu veterem formam volueris tenere. Novæ enim formæ dicatorum & novæ religiones, & novi homines merito suspecti esse debent. Perge igitur omissis Iudæis interrogare Iesum, ibi invenies aliam dilogationem, & iustitiam, & multum proficies, si eum velis audire,

16. 86. Tu es Rex Iudæorum. v. 33.

Ad aures præsidis pervenerant iam accusationes in multis contra Christum, & ut testantur alii Evangelistæ, accusaverant eum maxime tribus dicentes: 1. Hunc invenimus subvertentem gentem nostram, prava scilicet sua doctrina, 2. & prohibentem tributa dari Cæsari, 3. Quod dixerit se Christum Regem esse, Messiam scilicet in lege promissum, sed contra planum est Christum Dominum non commovisse aut subvertisse gentem: quin potius ad penitentiam, & omne virtutum generis promovet ad eum, ut eam suis discipulis dixeret. Super Cathedram Moysi sederunt Scribae & Pharisei, utique ergo quacunque dixerint vobis servate & facite. Certum quoque erat, eum non prohibuisse tributa dari Cæsari, quia dixit, reddite quæ sunt Cæsari Cæsari, & quæ sunt Deo Deo, imo ipsemet solvit tributum pro se & Petro etiam si ad id non teneretur, nec dixit unquam se Regem esse temporalem qualem Romanam creabant. Imo cum cognovisset, quod venturi essent, ut raperent & facerent eum Regem, ipse fugit solus in montem, ne fieret Rex: Quod si Messiam dixit esse se, eius opera id testabantur. Proinde si prædicavit se Messiam, non oportebat obijcere criminis loco, nisi declarassent in eum non competere, quæ de Messia Prophetæ prædixerant, quorum nihil est factum. Sed tota victoria spes erat in multitudine coniurata, & in solitudine rei, denique in Iudice (ut ipsi putabant) impio. Qui tamen, quanquam Idololatra, multo æquior iustiorque apparuit, quam Iudæorum Sacerdotes maximi. Ille prius crimen, de non pendendo Cæsariibus tributo, dissimulat, vel quia sciebat esse commentitium, vel quia novum non erat hoc disputari apud Iudæos, cum tota Phariseorum secta sentiret, populum Deo peculiarem non oportere pendere censum Domini non gentili. De regno tamen percontatur Iesum, in quo tamen nullam congruentem accusationi speciem videbat: solus erat, cultus, facies, totusque corporis habitus modestiam ac simplicitatem præ se ferebat. Itaque Præses seorsum interrogavit Iesum dicens: Tu es Rex Iudæorum? Vel ridens vel serio interrogans, ut discat, quoniam sensu homo eiusmodi habitus & incessus, se Regem dici sustinuerit, vel vulgi fama ei Regis nomen dederit, qua Regem, nescio quem, expectantur ad Iudæis iam olim percrebuerat & à triginta & amplius annis ex Magorum adventu retinuerat, & ante paucos dies rursus increbuerat, cum Christus

Itus ingressus in urbem triumphalibus acclamationibus Regis honoratus fuerat: Et quia Pilato gentili de legis Mosaicæ observantia parum erat curæ; de regia dignitate, Imperio Cæsaris & Romano non parum adversante examinat & interrogat, eum in prætorio à turbis semotum, an vere Rex Iudæorum foret? quasi diceret, non mihi satis est si neges te dixisse, amplius quero an sis Rex? Vide hic divinam providentiam interrogatio fit ad rem aptissime. Quia Christus Rex verus erat, & ea de causa etiam in vitis Iudæis appositus est ei titulus *Rex Iudæorum*, quamvis mox intelligeret Pilatus quale eius foret regnum singulariter tamen movit hanc questionem cæteris omissis, timebat enim non tam Cæsari quam sibi ipsi, Cæsari ne regno Iudæorum privaretur, quod iam à tempore Archelai in exilium acti possidebat Cæsar uti proprium bonum. Ipse vero Pilatus, ne eius gubernacula perderet.

O Rex supreme, qui constitutus es à Patre æterno Rex super Sion montem sanctum eius, decebat omnino excellentiam tuam, etiam esse huius mundi Regem & subditos, imò mancipia habere omnes Reges; sed tua charitas infinitamundane huic pompæ renuntiavit, ut humilitatis mihi præberes exemplum, excitare (que cor meum, ut terreno regno contempto, cœleste obtinere contenderem. Fac me, Rex meus, subditum tuo regno dignum, ita animatum ut calcare velim quidquid vanè magni æstimat mundus.

§. 87. Respondit Iesus. v. 34.

Considera hic promptitudinem animi & obedientiam Christi erga superiores sive in dignitate constitutos. Interrogatur Iesus, respondet promptè & demille, non tergiversatur, cogitando aut murmurando intra se, si debeat respondere, vel ad rem sincere, vel oblique vel arroganter ut nos doceat superiores vel in dignitate constitutos honorare ac venerari, dicta eorum & interrogata non contemnere; sed coram eis sincere agere.

Deus Deorum Dominus, Princeps Creaturarum omnium, rectus corde & humilis da gratiam obsecro ut omni creaturæ obediam propter te, omnibus sim affabilis, omnes diligam, superiores honorem, timeam & colam; inferiores nunquam despiciam, vel contemnam aut præ illis extollicupiam.

§. 88. A se metipso hoc dicitis an alij tibi dixerunt de me? v. 34.

Volens inducere Pilatum in sui cognitionem respondet: an à se metipso hoc dicitis, quod Rex sim ego an alij tibi dixerunt de me? Mira responsio, quia est

est ad quæstionem propositam alia reposita quæstio; aptè tamen sternens viam planæ responsionis securæ. Si enim Pilatus scire desideret veritatem, diceret ei utique aliter, quam si interrogaret veluti objectionem ab inimicis prætentam; quia tunc accusatores oportebat Pilatum docere quod se Regem nominasset vel falsè nominari passus esset, & utrovis modo iniustitiam commisisset. Hoc igitur modo prudentissime suam ostendit innocentiam, & docuit bonam iudicii formam.

ECce Magistratus omnes in hoc iudice Idololatra habetis exemplum: alta mente reponendum scilicet quod quoties quis coram vobis accusatur nunquam criminum delatoribus fidem prius adhibeatis quam legitimum iudicii ordinem servaverint. In primis testes audiant, porro testium dicta probe considerent, quoniam non raro testes mentiuntur aut falsum referunt. In colligendis ergo eorum depositionibus magna uti diligentia iudices debent, in causa potissimum criminali, quæ ut plurimum tota ex dictis testium pender: Ideo Moyses in lege iudici præcepit severissimum, inferre supplicium testi falsa referenti. Ne igitur in tale vel æternum supplicium cadamus, da gratiam bone Iesu in omni opere & sermone hanc servare formam ut nunquam nudis credam detractorum, sursorum, & de proximo male loquentium verbis, sed vel non assentiar vel iudicium suspendam, donec de rei veritate certo constet.

S. 89. Respondit Pilatus: nunquid ego Iudæus sum? v. 25.

Iam tertia quæstio accedit, secundæ; & tamen respondere dicitur qui quæstionem ponit, aut igitur quæstiones illæ vim responsionis continent, aut si eam non continent, nescio quomodo respondere quærentes dicantur, nisi forte respondere accipiat pro eo quod est sermonem alterum reponere, sive aptè ad præcedentem sive ineptè. Veruntamen quis ipsam Dei sapientiam ex una, & Pilatum tam sapientem ex altera parte ita respondendo introductos ausit arguere, quod ad propositum sermonem, ineptè suum reponant? Malo igitur censere illos modos loquendi & querendo responsiones formatas non satis penetratos à me fateri quam eorum alterutrum maxime unum de colloquendi forma arguere. Malo illos fateri doctiores, quam ut eorum loquendi formam capiam.

Q Deus in visceribus peccatorum sedet superbia, regina vitiorum, quasi in folio suo & impellit stultos ut ambulent in magnis & in mirabilibus super se. Quod adeo verum est, Domine, ut ipsi homines plebei & abieci

quarant excellentiam in stercore vilium exercitiorum quibus vivunt; nam de nobilioribus qui gloriantur in virtute sua, manifestum est quod superbia eorum ascendit semper. Gravissima infirmitas hæc est, quæ creaturas tuas Domine facit rebelles & similes Lucifero super astra Dei ascendenti & exaltanti se, ut mala æmulatione sereret similis altissimo. Hoc grande malum facit homines oblivisci conditionis suæ & maiora se ambitiosissime querere. Hæc recuso, discipuli enim tui Domine cognoscentes hoc malum, quod est principium apostatandi à te, exercent seipso vilissimis, exercitiis quantum fert stertus illorum, & multis præliis pugnant contra spiritum inflantem, inimicum gratiæ tuæ. Neque contenti sunt exercitio interno quo ipsi seipso continent infra se, sed studiosissime curant in vestitu, & sermone celare quidquid altum est, ut conterant caput serpentis qui insidiatur calcaneo novissimorum animæ suæ. At quod mirabilius est, comparatione amatorum mundi, querunt occasiones contumeliarum & improperiorum ad extinguendum sensum excellentiæ & acquirendam gloriosissimam victoriam militiæ tuæ. Domine, revera fortes sunt isti milites tui qui sensum acutissimum propriæ æstimationis comprimunt parati contemni & irrideri propter te, ne excidant à veritate. Pauci sunt isti quidem, sunt tamen etiam hodie, quorum laudes enuntiabit omnis Ecclesia sanctorum, quia fecerunt mirabilia magna nimis. Et tu Domine qui corda nosti omnium videns occultas luctas, quibus expriment motus superbiæ multiplices & vehementes, das eis prius copiosissimam gratiam, non qua non sentiant, sed qua vincant, sentientes inimicos tuos qui non fleunt genua coram altissima maiestate tua. Postea vero ad laudem gratiæ tuæ das servis tuis qui contra superbiam fortiter pugnarunt, ut post multa prælia animadvertant se iam non extolli super se, quam vis narrent mirabilia opera tua quæ operaris in eis. Hæc est victoria brachij tui, Domine, in quo fecisti potentiam & dispersisti superbosex altitudine cordis sui: non ut perirent, sed ut iam non essent superbi; sic enim desiderant iusti deficere peccatores à terra, ita ut amplius peccatores non sint. Deficiente ergo superbia cadii Babylon, cuius culmen pertingebat ad nubes, & obstupescit mundus ad spectaculum gratiæ quæ mirabiliter reformat peccatores ad exemplar perfectissimæ iustitiæ tuæ. Hoc studium modo assumebam, cum non extollebam me super duos sapientes colloquentes, quorum vim in sermone non assequebar, & tamen bene eos loqui inter se iudicabam. Sequantur me qui non præsumunt de se scripturarum sacrarum lectores.

§. 90. *Gens tua & Pontifices tui tradiderunt te mihi quid fecisti? v. 35.*

Antea non intelligebam vim sermonum inter duos Præsides & Christum habiturum. nunc iterum incipio capere, quid loquantur. Pilatus enim interrogans primo. *Tu es Rex Iudaorum?* & alia quaestione Domini, nempe: *Ex te ipso hoc dicis? an alii de me tibi dixerunt* quasi rejectus, iterum quaestione alia Dominum reiecit; *nanquid ego Iudaus sum?* Sed cito à modo illo recessit, & causam quaestionis suae edidit dicens, cur quaesierim, *An vis* si noli mirari vel indignari. causam reatus tui quaero, quia sine reatu neminem damno, ad quod tamen urgeor à tua Gente & Pontificibus, cum ergo in ceteris quae attulerunt accusationibus falsitatem penetraverim in parte, quae est de regno & regio tuo titulo non capio, & volo ut exponas tunc iudicare poterò num alicuius supplicij sis reus. Si Regnum titulum in te discutit nolis eo quod nihil subit mali, & ego aliam tuae accusationis causam nescio; ipse dic, cur te ab eis captivum factum arbitrenis, aliter ex hac caligine emergere non possum.

DEUS meus mira est vis naturalis rationis, quando iste sol à nubibus passionum non involvitur & absconditur. Idcirco oro te, Deus meus, ut quomodo in Pilato primis suis tractatibus in columen eius fulgorem servasti, ita in me & Catholicis cunctis conservare eum digneris, nam Lutherani inter se dissident & disputant inter se an Rationis lumen adhibere debeant, & Calviniani illud plane condemnant. Idcirco oro pro Catholicis qui illud lumen semper retinendum docent, & magis oro. nolo tamen, uti nec ipsi volunt, quod omnia illo lumine solo metiamur, & nolo agi contra ipsum, sed bene supra ipsum. Hoc & te, Deus, velle intelligo.

§. 91. *Respondit Iesus: regnum meum non est de hoc mundo. v. 36.*

Cum Pilatus iam eo devenisset quaerendo, ut ei mysterium redemptionis humanae esset aperiendum: dicendo, nihil mali feci, ob quod me Iudaei tibi tradiderint, sed livor & invidia eorum accensa sunt contra me, & ego innocens moriar per eos immolandum &c. Prudenter Dominus egerit ad primo factam Pilati quaestionem respondere nempe de regno & titulo regis. Cur autem hoc Dominus egerit optimae causae dari possunt, 1. Quia Pilatus suum propositum deseruerat, & ad hoc Dominus eum reducit. 2. Tenebatur ei inculcare invidiam Iudaeorum contra se, quam satis noverat. 3. Dabat exemplum optimum nobis eo facto, non calumniando vicissim eos qui nos calumniantur, neque reaccusandi. 4. Mysterium redemptionis humanae non tenebatur ante tempus aperire gentili, qui id-

is post bidam ex custodibus sepulchri suis militibus discere poterat.

Domine Iesu Christe, sol iustitiae & veritatis, omnem hominem venturum in hunc mundum illuminans, bene video, quod valde illuminaveris Pilatum, per sufficientissimam gratiam tuam, & bene video quod adhuc plus potueris ei prestare, quod tamen sapientissime non prestitisti, idcirco propono firmissime acquiescere in Ecclesiae sanctae tuae Romanae iudicio, & doctrina, quae docet omnibus dari sufficientem gratiam ad salutem suam: dari tamen multis etiam gratias specialiores praeter aliis, & nemini dando vel non dando fieri iniuriam. Hoc video clare in Pilato, qui cum gratia quam accepit salvari potuit a peccato mala damnationis, & tamen propter Passiones suas postea obortas salvari ab illo declinavit: Profitetur cum Innocentio X. & Alexandro VII. Gratia tuae, posse hominem resistere, profiteor hominem libere adherere gratiae, & eam deserere. In hoc Pontificius sum, non alterius sectae admirator.

§. 92. Regnum meum non est de hoc mundo. v. 36.

Notum fere est quid illo verbo Dominus voluerit, obiter dico tamen. 1. non ait, Regnum meum non est in hoc mundo, est enim, in mundo & Ecclesia eius & naturale imperium in omnes creaturas. 2. dicit, non est de hoc mundo, quia non quare tenere hunc mundum & occupare uti Alexander Magnus, & Iulius Caesar & Augustus quaesierunt, & uti illi regnarunt, & tenuerunt. Non sic, neque uti Tiberius modo tene mundi Imperium, neque uti tu Pilate provinciam Iudaicam. Nequaquam, meum regnum seu imperium est diversa admodum rationis & ordinis, non habent sibi a me timere ulla regna vel imperia, quae ego potius trado, quam subjungam aut eripiam possessoribus eorum uti Imperatores & Monarchiae molitores.

O Christe placet mihi hoc regnum tuum, quia alia regna habent multum angoris. Sed audiam te de hoc amplius differentem.

§. 93. Si ex hoc mundo esset regnum meum ministri mei utique decertarent ut non traderet Iudais. v. 36.

Vt probaret praesidi gentili suum regnum non esse de hoc mundo argumentum ponit ei tale; si de hoc mundo esset regnum meum utique ex eo regno haberem militem conscriptum & ministros & proceres circa me ad mei custodiam corporis & decus. Patens est autem me tales non habere

bere. Ergo nec regnum tale, mundanum quale in hoc mundo est usitatum, consistens in splendore æterno, & pompa atque magnificentia, sicut regnum aliorum Regum.

Bene habet hæc ratio, Domine mi, & valde bene metum à Pilato deputasti, & pulchrius inferis quod sequitur nam in eo quod probasti concludis, sed ita caute, ut tamen in futuro non neges regnum unquam tale fore ex parte qualia sunt Regna ista quæ videmus. Hoc valde prudenter fecisti.

§. 94. Nunc autem regnum meum non est hinc. v. 36.

Modo dicebam hæc verba esse conclusioem rationationis, de qualitate regni Christi factum, cum magna cautela, ne assertum pro tempore præsentis posset trahi ad omne tempus futurum, ait enim nunc non est regnum meum tale, quale times Pilate in Iudæa posse constari, assertio te pro nunc, sed an postea tale regnum non sis habiturus in Iudæa, neque affirmo, neque nego, & tibi ad iudicandum me pro nunc satis est, nunc non esse regnum meum tale, quale tu vel Iudæi possent timere vel invidere.

Valde provide locutus es Domine, dum reddidisti propositioni tuæ vocatam nunc, nam post id tempus regnum tuum fuit etiam factum aliqua parte de hoc mundo, nimirum quando Constantinus Magnus Ecclesiæ Romanæ cessit Romam & donationes alias fecit regales, & quando Imperatores & Reges & Principes facti sunt Catholici, tunc vere cepit Regnum Christi etiam esse de hoc mundo. Frustra igitur Arnaldista, Frustra Waldenses &c. Volunt Christianos, Ecclesiasticos ad eam redigo pauperiam, quæ erat Christi Domini in tempore aliquo; quia Christus non asseruit nunquam regnum suum fore aliqua saltem parte de hoc mundo. Habet etiam nunc Ecclesia tua Christe, Regna & principatus terrenos, sed non erat neque modo est principale intentum tuum, ut homines acquirant regna & principatus, sed iustitiam, cui accessorium esse potest, habere regnum mundi non habes ab hoc mundo regnum, regnum enim huius mundi finem habebit, sed nunquam erit finis regni tui, quod tunc primum in oculis nostris perfectum erit, quando hic mundus finem habebit. Si regnum tuum esset de hoc mundo, ministri tui utique pro te pugnarent ne Iudæis tradereris: sed iam regnum tuum non est hinc, verum de cælis. Da, ô Domine, hoc ut intelligamus, ne mundi gloriam, aut carnis delicias quæramus, sed solum virtuti intendamus, cogitantes nos tunc regnare quando in humilitate, patientia mansuetudine & ceteris virtutibus nos exercuerimus iuxta illud profani vatis: Latius regnas avidum domando spiritum, quam si Lybiam remotis Gadibus iungas.

§. 95. Dicit ei Pilatus : Ergo Rex es tu?

Quia præses adverteret ex Christi verbis non negare, se esse Regem; sed solum non esse Regem *hinc* vel *de hoc mundo* & capere huius rei mysterium non poterat, cogitavit eum verbis clavis & apertis interrogare, replicando ad Christi dictum hoc modo: Ergo saltem Rex es tu, ut veritatem apertam ex ore eius intelligeret, & secundum eam iudicare posset, & Tyberio Cæsari rationem dare. Præsens autem ænigma discriminis regni cœlestis ac terreni, tantæ fuit altitudinis, ut neque Pilatus neque quispiam alius præsentiam illad capere potuerit. Erat Rex Christus, constitutus super Sion montem sanctum; quia ipsi à Patre data est omnis potestas in cœlo & in terra: & tamen simul Sacerdos secundum ordinem Melchisedech, sicut ipse Melchisedech, Rex salem fuit simul & Sacerdos Dei altissimi noli obsecro scandalizari hæretice cum laudis vel vides potentiam terrenam in Ecclesia Christi, noli invidere, vicit Principem huius mundi & nunc victor facit suos sacerdotes secum regnare.

Dile mecum vivat Rex: Ave Rex: Benedictus qui venit in nomine Domini, ô Sanna in excelsis te adoramus Rex noster, tibi benedicimus, tibi gloria in sæcula sæculorum, tibi omnis nostra subiectio, tibi omnis honor, tibi nos & nostra consecramus in sempiternum. Rex Israel Amen.

§. 96. Respondet Iesus. v. 37.

Aspice & considera hic, ô Christiane, ô Religiose, quid tibi conveniat, quoties interrogatur Iesus tuus & Salvator, & quoties responderi ipse eum humilitate, submissione, & veritate, non fide, sed sincere sive Iudæo, sive Ethnico, quia superiores constituti, & in dignitate positi sunt honorandi, Dei causa: & Tu Christiane, homuncio vilis, ovis perdita tuo Pastori animarum curatori sæpius resistere audes? tu pœnitens tuo Confessario, tu fili parentibus tuis? tu Religiose Prælato tuo? Abbati, Superiori, Priori, Priorissæ, Pudeat nos offines & pœnitentiam agamus de nostra superbia.

§. 97. Tu dicis: quia Rex sum ego.

Sive interrogando me, sive affirmando hoc dicas bene dicis: quia Rex sum ego: & ne Pilatus, nesciens alia regna, quam ista terrena mere, quæ mundus dat vel rapit ubique temperavit Dominus responsa sua, ut innocentiam probaret suam, audientes non errarent uti, mox apparebit.

Domine :

Domine mi Rex fecisti nos Deo nostro regnum & Sacerdotes, regemque ita ut nosmetipsos bene semper coram te regamus, ut ad regnum eam perveniamus, quod non ab hominibus eorumque suffragiis accepisti, sed à patre originaliter hereditasti, & postea homo factus, tuis bene factis multipliciter promeruisti.

§. 98. *Ego in hoc natus sum. v. 37.*

1. Ex Patre meo caelesti per æternam generationem, in similitudinem suo identitatem naturæ procedens. 2. Ex Maria Virgine, de stirpe Regia homo natus, Luc. 3. Ex S. Iosepho Patre meo nutritio, qui nullam aliam prolem habuit, & ex regum prosapia Matth. 1. descendit, natus forma Rex, quia hæres sum illius. 4. inauguratus sum Rex die Palmarum, ne natiuitas sine te titulata posset censeri.

Domine Iesu Christe, ego cum Nathanaele admirans te libenter ex corde dico, & acclamo: Tu es Filius Dei, tu es Rex Isaac.

§. 99. *Et ad hoc veni in mundum. v. 37.*

Antea se ostendit esse natum Regem, nunc etiam meritis suis se regiam dignitatem & regnum obtinere demonstrat, & quidem longe excellentiore modo quam alii, qui regna promeruerunt, nam ego, ait, illa intentione natus sum, ut regnum acquirerem mihi, ceteri, qui regna obtinuerunt, cum nascebantur, vel ante natiuitatem suam non poterant intendere quia usu rationis carebant, ego sapiebam, & iudicabam, & volebam, & operabar.

Domine Iesu merito de te dixerunt missi à Principibus, cum te audierunt, nunquam sic locutus est homo, quia nunquam etiam sic fuit ullus homo, sicuti tu fuisti homo, & operari sequitur esse, cuiusque rei, ut scholæ Philosopherum loquuntur.

§. 100. *Ve testimonium perhibeam veritati. v. 37.*

Quod regnum, quomodo id promereri intenderit, & quibus modis: nimirum docendo veritatem, & verbis & exemplis. Ita enim Christus ingreditur in animos hominum, & incipit in eis regnare, dum veritatis dogmatibus obsequuntur.

Domine Iesu iam valde clare ostendis regnum à te intentum principaliter, esse spirituale regnum in animabus, dum earum intellectum per evidentem credibilitatem propositionum tuarum tibi concilias, & fidem inducis, per quam mox in cordibus nostris regnas, eijciendo tenebras, &

vita

vitia tenebrarum sequacia. O Domine bene prosperare, prospere procede & sic æternum regna.

§. 101. *Omnis qui est ex veritate, vocem meam audit. v. 37.*

Continuat Christus coram Præside probare suam spirituales regalitatem, quæ est in subiectione aliorum per veritatis inculcationem & sequentem deinde obedientiam, qua vigente iam clare Christus regnat. Quid igitur novi dicit Dominus hic quod ante non dixerat? Hoc. Duos modos ingrediendi animos se tenere, unus est in infantibus per regenerationem & alius in ratione utentibus per Prædicationem, & hoc utroque Gratiæ modo Christus omnes homines sibi subiugare potest, & nunc subiugat, & subiugavit regna omnia cum illo tamen discrimine, quod felicius sit regenerari infantem, quam converti per prædicationem. Quia regeneratus ex aqua & Spiritu S. habet pondus trahens ad intelligendum & credendum, & obediendum nempe habitus infusus in baptismo, quos non habet adultus ex infidelitate convertendus per Prædicationem, quinimo hic habet in se pondus trahens, nempe corruptæ naturæ assuefactionem in contraria fidei dogmata, & contraria caritati opera.

Domine Iesu, Salvator mundi, mirabilia sunt verba tua, seu testimonia tua, propterea ea gustans amplius ea exquiram & scrutabor, quia sunt verba vitæ, & vitam haurimus ex ipsis, imo sunt Spiritus & vita. Ioan. 6.

§. 102. *Dicit ei Pilatus quid est veritas. v. 38.*

Cum tam alta loquentem ac de veritate nominatim audiret Pilatus quodque in ea Christi regnum fundatum esset, non omisit interrogare, quid ea esset, hoc enim penetrato, tota ratio regni Christi videbatur esse elucidata.

O Pilate bene facis quod quæras quid sit veritas, sed fortasse melius faceres, si non tam definitione eius interrogares, quàm proximè assequendi veritatē. Bene tamē quæris, & Philosophi etiā in Metaphysicis hoc quærun, & dicunt quod sit proprietas Entis. omne enim Ens bonū, verum & unū est. Dicunt etiā ulterius quod veritas ista sit ipsū ens quidē, sed insuper involvat aliquod connotatum respiciendo intellectum, cuius Ideæ cum ens est conforme verū dicitur, cum vero discrepat, falsum dici solet. Valde igitur subtilem rem quæstisti Pilate, nam omnis res, si divino iudicio conformetur veritatem tenet, si difformis sit, falsitatem habet, & hoc Christus egit & agit hodieque ut res omnes divino iudicio & voluntati conformentur,

K

in hoc

in hoc est regnum eius. Aperte igitur quaesisti, sed praxin indispicendi talem veritatem male neglexisti.

§. 103. *Et cum hoc dixisset iterum exiit ad Iudeos. v. 38.*

Post interrogationem istam; quid sit veritas? Promptum Christi animus ad respondendum videns Pilatus, vel impatiens morae, vel satis habens ad intelligendam Christi innocentiam vel Dæmone stimulante nec verbis Christi de iustitia & veritate plenius erudiretur, & ne tangeret eius conscientiam, vivis ac certis argumentis & rationibus, quibus respondere non posset, cogitavit liberare eum de manibus Iudæorum, innocentiam eius publicè declarando, exiit ergo è loco interrogationis suae ad Iudeos foris eius declarationem expectantes, non expectato Christi responso, quod multi legentes dolere solent, qui veritatem scire desiderant.

Quam multi sunt, qui hodie dum sic agunt, uti Pilatus, disceptationem cum religioso homine vani, cum Catholico acatholici, cum pio dycolis incipiunt, sed mox vel nausea talium rerum vel metu ingratarum veritatis audiendae desistunt, & se subducunt, viam ad Christi regnum aperant occludunt sibiipsis, & quid mirum est si postea pereunt.

§. 104. *Et dixit: Ego nullam invenio in eo causam. v. 38.*

Quaquam non audierat Iesum responsum de veritate Pilatus, tamè ex promptitudine Domini ad respondendum, ut dixit & non ignarus malitiae Iudaicae, & ex ipso vultu Domini collecta modestia & innocentia, prodit ad Pontifices Iudæorum & conglomeratam multitudinem fortis stantem, morae impatientem, murmurantem à longa Praetoris cum reo confabulatione, ne forte vinceretur; dixit: *Examinavi hominem de criminibus obiectis, nihil in eo criminis invenio: doctrina eius irreprehensibilis est, & vita eius inculpabilis nec à quoquam vere peccati accusatur, quibus verbis clare Christum non tantum absolvit praeses ab eo crimine quo accusatus erat, sed generaliter dicit, Ego nullam invenio in eo causam.* Magnum sane innocentiae Christi testimonium, praesertim ipsius, qui ipsum postea crucifixit. Nec semel tantum, sed saepe in ipso iudicio datum & repetitum. Nec oscitanter praetereo, quod accusatus à suis, excusatur ab extraneis, sic enim futurum erat ut Iudaeis blasphemantibus eum, gentiles quandoque Christum summo studio susciperent & glorificarent, his ad gloriam & honorem, illis in vituperium & damnationem. Sed quaeri potest cur Praeses Christum non liberavit cum nihil criminis invenerit in eo? & cur impio

Delatores puniri non iussit? Grandis quaestio. Sed tamen talis ad quam dari possit sana responsio. Summa est omnium quod Pilatus arbitrij sui libertate sit abusus, gratiam datam à Deo neglexit, hominum metum timori Dei præhabuit, conscientiam suam & iustitiam offendere maluit quam hominum farentium gratiam.

O Pusillanimitatem detestandam in Iudice, qui nullam inveniens in Christo causam, non tamen iuxta leges liberat eum! O bone Iesu, da veram in iustitia & æquitate constantiam, ne odio, affectu vel timore contra tuam voluntatem agamus vel à iustitia declinemus, nam cum tuam innocentiam in omnibus intueor & confidero, meam vero iniquitatem contempler quod non sit sanitas in carne mea, à facie peccatorum meorum, ipsa sum sordities, tu vero ipsa innocentia, pudore suffundor, nec audeo apparere in conspectu tuo.

§. 105. *Est autem consuetudo vobis, ut unum dimittam in Pascha. v. 39.*

Novum inventum Pilati ad liberandum Dominum de manu inimicorum fuit illud, quod ipsum tempus suggererat, nempe Paschale: quod unum ex victis seu reis dimitti moris erat, sed quem ipsi Iudæi rogarent. Hinc nova difficultas orta est an Iudæi essent Christum rogaturi. Et apparebat quod non, quia eum tanto furore tradiderant. Quid faciet ergo Pilatus? volens dimittere Christum & sciens eum odio haberi gratis, undique difficultas elucet, secundum iustitiæ directæ dictamen Pilatus Christum dimittere non audeat, favorem habens ad Iudæos, & si eum morti tradi optent consentire non audeat metu conscientiæ. Pessimum ergo hominem egerit & eum Domino composuit, ut indubie Christum peterent donari sibi, & non pessimum. Quis non hoc consilium probavisset? infelix tamen eventus docuit fuisse pessimum.

Domine agnosco quod etsi politici multa speculentur pulchra in speciem, ea tamen valde fallant & quidem saepe. Idcirco damno omnia consilia, quæ tuo spiritu, ô Deus, non sunt subnixæ quia in manibus tuis sunt hominum sortes, & voluntates nemo nisi Deus penetrat.

§. 106. *Vultis ergo dimittam vobis Regem Iudæorum? v. 40.*

Priusquam Pilatus Dominum cum pessimo latrone componeret, absolute & solitatie dimittendum obrulit Iudæis. Sed in hoc imprudenter processit, quia si illum liberari voluissent, non tam crudeliter eum Præfidi tradidissent, uti dictum est.

Vere nisi homo absolute & exacte iustitiam amet, & directe eam sequatur, certe per ambages & diverticula teneti vix poterit uti hic in Pilato apparet, qui voluit innocentem traditum à ludæis absolvere & tamen iniustos traditores ludæos non offendere. Hinc imprudens illud verbum *Vultis* melius dixisset: *Velitis, oro.* nam nolle illos, ut dimittatur innocens Christus, patet ex iniusta accusatione & antegressa contra eum machinatione rogare autem an quis velit, quod scit eum nolle, videtur mihi nihil esse aliud quam irritare. Tu Deus omnium corda scrutans tua sapientia nos à talibus modis agendi præserva.

§. 107. *Clamaverunt rursus omnes dicentes. v. 40.*

Clamaverant iam semel contra Christum, cum is absolute proponebatur à Pilato. Hoc tacite indicat S. Ioannes in vocula rursus. Postquam ergo non iam solitarie Dominum proposuit, sed iunctum pessimo homini, quis non putasset potius Christum tam beneficum, quam adeo nequam liberatum iri & liberatus tamen non est sanctus, sed impius, quia ludæi non postulabant duce ratione, sed suadente passione, quæ claustrat oculum rationi eorum.

Ecce quo vergat invidia, odiumque Pontificum & Seniorum! suadent & persuadent verbis, donis, promissis, ut populus in electione illis per Præsidem concessa, non petat dimitti letum, sed crucifigi.

§. 108. *Non hunc sed Barabbam. v. 40.*

O ludæorum amentiam! ô furiam phreneticorum! quod argumentis vincere non poterant, clamore extorquere intendunt, & dicunt, Præsidi noli dimittere letum, sed Barabbam; qui teter, horridus, cicatricibus facinorum turpis, minas cædesque spirabat, vultu ac facie referens Archilatonem: Christus Dominus sudore, sputis, alapis deformatus, ac decolor, vestitu modesto adhuc tamen formosus, pulcher, placidus, amabilis, tanta vis boni in ipso aspectu inerat, ut talia ac tanta inquinamenta formam non extinguerent, ut electurus vix posset hæsitare, tamen hic palam Christum laetoni posthabent. Heu infelicissimos ludæos, qui præ Christo impurissimum hominem, nequissimum eligere latronem Barabbam, maximosque insuper clamores super Dominum innocentissimum concitate haud verentur. Quid non facit cæca & perversa hominum malicia!

O Christiani quantum opere metuendum est nobis ne nostra quoque malicia frequenter Barabbam Christo præponamus! quotiescunque vider

si vitium, spiritui carnem, mundum Deo, malitiam Religioni, decalogo peccatum, toties mortem vitæ, & Barabbam Christo præponimus, nullus certe nostrum est, qui si rogetur, qualia sint lux & tenebræ, Christus & Satan, cælum & infernus, gehenna & gloria: non confestim respondeat contraria esse adeo ut si bonum sit unum, alterum necessario sit malum, si rursus rogetur, bonæne sint tenebræ, Satan, infernus, ignis gehennæ, haud dubie respondeat hæc extrema malum esse, & his contraria longe esse optima: & tamen aliter eligimus sæpe, & practicè dicimus; Video melior proboque, deteriora sequor.

§. 109. *Erat autem latro. v. 40.*

Nec vero simplex erat latro, nec qui multo tempore latrocinia exercuisset in silvis & campis, sed in civitate ipsa Hierusalem, homicidium fecerat & seditiosus, quod hominum genus solet magis esse exosum, uti est perniciosum magis. Vnde credo, si alter nequior Barabba inveniri potuisset, Pilatus eum populo proposuisset, ut Christum liberare potuisset.

Vah indignitatem! Salvatorem mundi filium Dei in statera seu bilance cum prædone, sicario, ac parricida adpendi, neque tamen præferri: vere hic quadrat quod Propheta dixit: *Cum iniquis deputatus est: & illud, vermis sum & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis.* In Prælatione Barabba impletum est quicquid alias Dominus de suo contemptu per Prophetas conquestus est, sed & pro eo contemptu Dei nunc per hominem unum satisfactum est.

Gaudeamus igitur Christiani, non de iniuria fratris nostri, sed de hoc quod Deus tam piæ ex iniuria illa fecit culparum nostrarum medicinam. Habeamus ante oculos imaginem Domini pro nostra satisfactione contempti, ut habeamus illi gratiam per quem Deus Pater nobis dedit veniam, & quidem adeo copiosam.

CAP. XIX.

§. 110. *Tunc ergo apprehendit Pilatus Iesum. v. 19.*

Cum Iudæi clamassent non Iesum sibi à Pilato dimitti velle in Paschate, sed Barabbam latronem; non salvatorem, sed interfectorem: non datorem vitæ, sed ademptorem, apprehendit Iesum sibi per Iudæos traditum. Sed quomodo apprehendit? multis modis inutrosque cedens in hoc Iudæis, quod cum ipsis maluit esse improbus, quam solo Iesu iustus & bo-